Ayr[illegible] Magistr. de Criminab. Et [illegible]

23438

R. P.

Franciscus Sfortius Francisci filius
natus anno 1567
Edidit athenas Belgicas

Puttick + Simpson
340 / 25/2/10

1556 —

MAGGI

QRP

HIERONYMI MAGII

DE

TINTINNABVLIS

LIBER POSTVMVS.

FRANCISCVS SWEERTIVS F. Antuerp.

NOTIS *illustrabat.*

[redacted]



Oudin s.J.

HANOVIÆ

Typis Wechelianis, apud Claudium Marnium & heredes Ioannis Aubrii.

CIↃ IↃCVIII.

Natalibus, ingenio & doctrina illustri Viro

CHRISTOPHORO VAN ETTEN I.C. ET *Vrbis Antuerp. Senatori,*

FRANCISCVS SWEERTIVS F. S. D.

FVIT olim hoc studiorum genus, quo prisci gentium ac populorum ritus è tenebris eruuntur, in honore & pretio: quod hodie vsq; adeò apud imperitos euiluit, vt in eo qui vigilent, infra vltimæ sortis homines, collocentur. Grammatici, vocularũ aucupes, ad seria inepti, in ludicris occupati habentur. Apud te sanè suus litteris honos constat: vnus ex iis es, qui politiores artes cum gloria coluisti & colis, earumque cultores foues,

nec apud imperitos iacere pateris. Hoc generi tuo à Natura insitum esse videtur, vt litteris ornamento, litteratis præsidio sitis. Dum nuper itaque incido in hæc postuma HIERONYMI MAGII viri doctiss. TINTINNABVLA, quæ olim ille dum seruitutem seruit, tam liberale ingenium apud Byzantios inter compedes, sine librorum præsidio consarcinauerat, duplex illico voluptas suboritur animo meo eiusmodi rerum studiosissimo, vna quod de humanioribus litteris earumque amantibus, si hunc libellum damnatum tenebris donarem luce; altera quod de te humanissimo eruditissimoque viro, si hunc ipsum tuo nomini potissimum inscriberem, nouam materiem benemerendi essem consecutus. Neque sum tamen tam iniquus rerum æstimator, cùm hoc facio in præsentia, quod iampridem me esse facturum

consti-

conſtitueraꝫ, vt hanc meam qualem-
cunque operã lucubrationibus Ma-
gii copulatam, putem eſſe eiuſmo-
di, quæ tuo merito vel dignitati poſ-
ſit reſpondere. Mecum certè tam hu-
maniter & beneuolè egiſti; vt omni
ſenſu carere me oporteat, ſi grati a-
nimi memoriâ, tuam humanitatem
non proſequar, & hoc quicquid eſt
operæ, tibi non inſcribam, cui nihil
non gratum eſſe poſſit, quod ad litte-
ras illuſtrãdas, & vetera è ſitu eruẽda,
faciat. Scio enim quàm te & Parẽtis
Clariſs. toto Belgio deprædicata in-
tegritas, & tot iam annos probata
induſtria in commeatibus militum
procurãdis: Scio, quàm te lectiſſimæ
coniugis prudentiſs. pater, Belgicæ
pacis, ſiue cũ exteris, ſiue cum incolis
conciliãdę optimus architectus: Scio
demùm quàm tua te tã illuſtris mo-
rũ nobilitas & eruditio, quibus velu-
ti legitimis gradib. ad altiora natus,

Senatorio ordine in Vrbe vrbiū (ſic enim meritò illam vocat DELICIVM MVSARVM IVSTVS LIPSIVS) ſis nuper inſcriptus, omnium concurrente calculo cohoneſtet. Proinde quod dixi, præſens opuſculum non defero vt par aut dignum te, qui longè maioribus es ſuperior, ſed vt mei in te amoris planè ſingularis extet qualiſcunq; teſtificatio, dum maiorum vigiliarum opus te dignū (ſi Deus modò longiorem vitæ vſuram, benignè concedat) adorno. Mea igitur qua benignitate ſoles, amplectere, & auctoritate tua me aduerſus maleuolorū calumnias, tuere. Vale æternùm. Antuerpiæ. Ex noſtro muſæo, Anno partæ ſalutis CIↃ IↃCVIII. Kal. Auguſti. NICOLAO ROCKOXIO & HENRICO HALMALIO Coss.

ELO-

ELOGIVM HIERONYMI MAGII, POTISSIMVM E SCRIPTIS EIUS.

HIERONYMVS MAGIVS *patriã habuit apud Insubres Anglariam ditionis Mediolanensis; quæ vrbs & alios parentũ memoriâ doctrinâ claros viros protulit, in his* PETRVM MARTYREM, *non Etruscum illum, sed rerum Hispanicarum ac noui orbis per decades scriptorem: magnum quoq; illud sæculi decus tulit* ANGELVM CANINIVM *eruditis linguis ad miraculum eruditum:* Syriacã *enim* Grammaticam *dedit, ac* de Hellenismis *aureũ sanè opus, vertitq;* Simplicium in Epicteti enchiridion. *Igitur* MAGIVS *litteris non leuiter ab adolescentia tinctus, atq, adeò, vt erat exci-*

tato ingenio fidaque memoria, imbutus, ad legendum se dabat, librorum vt helluo videretur. Quemcunq; librum semel arripuisset, nulla nec obscuritate terreri, nec nouitatis illecebra adduci potuit, vt de manibus deponeret, priusquam peruenisset ad metam. Audiuit attente FRANCISCVM ROBORTELLVM Vtinensem Bononiæ Doctorem Eloquentiæ atq; Historiæ, qui cum CAROLO SIGONIO de laude eruditionis sic contendebat, vt hic scriptis longè anteiret, ille sermone stupendus dicendique acrimoniâ omnium in se ora vultusq; coüerteret. Hinc sitim affatim cum litteris atq; historia expleuisset, ad Iurisprudentiam se, Græcis etiam litteris probè instructus, sic contulit, vt decurso demum spatio scriptis eandem in lucem euulgatis, illustrare non mediocriter (ni fata impediissent) cogitaret. Multa enim id generis, sollemni quorundam more, posteros exspectare iubet, sed spem mors intempesta elusit. Edidit autem superstes

perstes

perstes hæc ferè: Annotationes *vberes post Gybertum Longoliũ Belgam* in Æmilium Probum, de vita excellentiũ Græciæ Impp. *à quo multa Dionysius Lambinus audacter mutuatus, taciturnitate (vt ne nominare quidem sustineat) ingrati vix crimen effugit. Mox* De mũdi exustione & die iudicii, *ex Stoicorum veterumque sententia copiosè disseruit, ac Basileæ vtrunque opus foras abire permisit. Adhæc Venetiis, vbi & Typographis operam nauasse fertur*, Variarum lectionum, *seu* Miscellaneorum lib. IV. *multæ sanè lectionis argumenta. Iudex hinc causarum militaris à Venetis in Cyprum missus, ius dixit. Obsessâ dein à Turcico exercitu Famagustâ, quæ Salamis quondam dicta, anno Virginei partus supra millesimũ & quingentesimũ primo & septuagesimo, ac vertente anno, die* V. *Augusti captâ, captiuis contra fidem datam à perfida natione Christianis, & M. Antonio Bragadino vrbis Præfecto (quod*

vel meminiße refugit animus) iußu M*u-ſtaphæ* B*aſſæ, viuo excoriato,* MAGIVS *calamitatem non effugit, ſed viuus in ho-ſtium poteſtatem veniens, in Aſiam abdu-ctus, ſeruitutem ludex ſeruiit.* O *caſum triſtem ac miſerandum!* C*onſcripſit è me-moria ferreas geſtans catenas* De Tin-tinnabulis commentarium, *quibus* T*urciam carere animaduerterat, quan-tus rerũ theſaurus ſit memoria, oſtendens.* E*um obtulit* D. CAROLO RYMIO, *no-bili* G*andauenſi, qui* C*æſaris* M*aximilia-ni* L*egatum* B*yzantii agebat, donauitq;* PHILIBERTVS RYMIVS *Gandauenſis* S*enator* S*oc.* IESV P*atrib. qui ne labor funditꝰ interiret,* NOTIS *noſtris illuſtra-tum exire permiſerunt, vt hæc qualiacun-que qui leget, humanarum rerum vicißi-tudinem calamitatemq; formidare aſſue-ſcat.* C*ommentatus quoque erat paulò an-tè, quàm à barbaro* M*ahomete* B*aſſa cru-deliter ſtrangularetur,* De Equuleo, *e-iusq; quæſtionis forma, à nemine hactenus*

rectè intellectâ, quē THOMÆ SEGHETO *Britanno* V. CL. *posteritas feret acceptum. Atque hactenus quæ in lucem euulgata leguntur. Adiiciam quæ paßim editurum se promiserat, præsertim Notis ad Æmilium Probum, si fortè apud incuriosos heredes adhuc delitescerent.*

In Bucolica P. VirgilI Maronis.

De antiquorum prandiis & cœnis.

Annotationes in A. Gellium.

Hortorum libros.

De machinis *ex Heronis libro* περὶ πολεμικῶν ὀργάνων.

De vrbium expugnatione, *Italicè.*

De vrbium propugnatione, *Italicè.*

De vrbium architectura.

Necrotaphologia *seu* de sepulchris & sepeliendi ritu lib. x.

Miscellaneorum lib. IV.

Μισοπυγιστίας lib. v.

Hæc ad philologiam pertinent. Ad Ius verò Ciuile:

Lexicon Iuris.

Annotationes in Institutiones Iuris.
Ad L. Iuliam de adult. L. Cùm vir nubit.
Apophyades ad Budæi annotationes in Pandectas.

Amicis vsus est familiariter summis eruditione viris, vt ferè è studiorum morumque similitudine coniunctio firmaq; nascitur amicitia, in his PETRO ANGELIO BARGÆO, *principe æui sui Poetarũ, qui doctos illos* Κυνηγετικῶν *post Oppianum libros lusit;* FRANC. *item, vt diximus,* ROBORTELLO *&* OBERTO GIFANIO *Burano Belga I. C. ac Philologo insigni. Taceo ceteros.*

P. LVDOVICVS MEDARDVS Soc. IESV IN LIBELLVM DE TINTINNABVLIS.

Compedibus vinctus dum TINTINNABVLA *pulsat*
MAGIVS, *æra quidem, muta sed æra ferit.*
SWEERTIVS *hac eadem calamo dũ postuma tractat,*
Quid facit? æra prius muta, sonora facit.

IN-

INDEX CAPITVM LIBRI de Tintinnabulis siue Campanis.

DE *Tintinnabuli* voce, & quã vere Ioannes Tortellius, atque alii *Tintinnabula* apud antiquos fuisse negauerint. CAP. I.

De primo *Tintinnabuli* inuentore. CAP. II.

De maioribus, publicisque antiquorum *Tintinnabulis*. CAP. III.

De *Tintinnabulis* sepulcri Porsenæ Tuscorum Regis. CAP. IV.

Quis olim vsus esset *Tintinnabuli* in priuatis Romanorum ædibus. CAP. V.

An apud antiquos horæ, vt hodie, *Tintinnabuli* sono distinguerẽtur, Luciani locus antea obscurus declaratus. CAP. VI.

Deæ Syriæ sacerdotem vti consueuisse *tintinnabulo*. CAP. VII.

Bruta quoque *Tintinnabuli* ab vsu non excludi. CAP. VIII.

De *Tintinnabulis* Hebræi sacerdotis. CAP. IX.

Quis minorum *Tintinnabulõrum* publice olim apud antiquos vsus. CAP. X.

De *Tintinnabulo* eorum, qui ad supplicium ducerentur, & triumphantis Imperatoris. CAP. XI.

De antiquorum Tympano quod *Tintinnabula* multa contineret. CAP. XII.

De superiorum sæculorum castrẽsi Campana. Accursii locus declaratus. CAP. XIII.

De virtute tinnitus æris, & *Tintinnabulorum*. Cap. XIV.

Tintinnabulis, Turcarum & Græcorum templa carere. De *Symandro*, & *Agiosydiro*. Cap. XV.

De turribus, quę *Tintinnabulis* dicantur. Cap. XVI.

Tintinnabulorum, siue *Campanarum* tinnitu hodie è templorũ turribus quibusdam in vrbibus musicos concentus magna cum voluptate exprimi. Cap. XVII.

De minorum *Tintinnabulorum* vsu apud principes viros, & magistratus ciuitatum. Cap. XVIII.

De *Tintinnabulis*, quæ ædium foribus alligantur. Cap. XIX.

De *Campanarum* conficiendarum, & suspendendarum arte, & qua ratione statere non magno earum pondus deprehendi possit. Cap. XX.

HIERO-

HIERONYMI MAGII
PRÆFATIO
In librum de Tintinnabulis *siue* Campanis,

Ad Illustrißimum, & Magnanimum D. D. CAROLVM RYM, GANDAVENSEM, MAXIMILIANI *semper* AVGVSTI IMP. ORATOREM.

PLAVTVM *Latinæ linguæ auctorē nobilißimū, Christianorū Imperatoris semper Augusti Orator illustrißime, in pistrino è fabulis suis nonnullas scripsisse, mirum tibi fortasse aliquando visum est. Mira prorsus res modo tibi absque dubio videbitur, me captiuum, & Turcæ hominis seruum, in ergastulo, libris omnino, & memoriæ adminiculis carentem (vix enim tunicatus è clade Cyprica superfui) hunc* de Tintinnabulis *libellum composuisse; vt Homerum o-*

mnigenæ alioqui virtutis parentem mendacii quis insimulet, quod Iouem seruis dimidiū mentis abstulisse, memoriæ prodiderit. Quanquam Philosophos, atque auctores nōn contemnendos, seruos fuisse, Aulus Gellius, & Macrobius, vt alios omittam, attestātur. Verum enimuero, Heros, atq; here Illustrissime, illud te ignorare nolim, DEVM OPT. MAXIMVM, qui me ex innumeris terræ, & maris periculis seruauit, huc perducto etiam præsto adfuisse, videri facile posse: siquidem ea ferè omnia mihi suggessit, quæ per ocium olim litteris mandaueram, & Cyprum mecum detuleram, vt relegens aliquando ex animo grauiores curas, & molestias depellerem. Quamobrem est quod eo etiā nomine eius numini gratias agam immortales, præsertim cum te, D. Illustrissime, salutandi occasionem nactus sim. Est enim in more positum, vt qui litteris operam non pœnitendā nauarunt, quos conscripserint libros, honoris ergò tui similibus principibus viris offerant, & huiusmodi muneribus eorum gratiam demereantur. Feci autem libens vt hunc tibi librum dicarem, cum præter DEVM Opt. Maximum in te vno huius calamitatis meæ salubre remedium positum esse, & abs te vno salutem meam petendam esse intelligerem. Quandoquidem tu Christianorum Imperatoris, litteratorum hominum amatoris summi, Christiana

pietate,

pietate, & virtutum omnium choro insignis Legatus, non sine diuino numine in hanc vrbē melioribus auspiciis quàm Roma fuerit (vt Iustiniani Imp. verbis vtar) fundatā missus videris, & præter maximi ponderis legationem, oppressorū seruitute Christianorum patrocinium susciperes, vsque adeo, vt ad te tanquam ad Flaminem Dialem; seu potius tanquam ad augustissimam Imperatoris statuam; quod olim miserorum hominū, præsertim seruorum præsidium esse consueuit, captiui Christiani, qui huc frequentes è Christiano orbe deuehuntur, ac protrahuntur, confugerent, tuosq́; ad pedes prouoluti auxilium exposcerent. Iure igitur, patrone optime, hoc ego quantuis exiguo munere te salutandū, & colendum esse duxi, & ad te, tanquam ad MAXIMILIANI *Inclyti Imperatoris Imperatoriis omnibus virtutibus refertam imaginem, ac statuam confugio, iure tuos ad pedes, Heros maxime, supplex procumbo, opemque imploro, & mihi omnino persuadeo; nullo te pacto Christiano homini deesse velle, præsertim cùm is sim, qui scriptis meis pridē rem litterariam nonnihil promouerim, ac in futurum non parum promouere posim. Nam cum in bonarum litterarum studiis ætatem consumpserim; libros quinque* de Mundi exustione, & die Iudicii *conscripsi, quos typis suis Basileæ Henrichus Petri superioribus annis excudit: itē* com=

mentaria in Æmilium Probum, *eiuſdẽ Henrichi prælo repræſentata: præterea* Miſcellaneorum, *ſeu* Variarum lectionum *libros quatuor, & alios* Italica lingua non parui momenti libros, quos Venetiis impreſſos, ac vbique venales te legiſſe, aut ſaltem apud bibliopolas Viennæ Auſtriæ, aut Pragæ cõſpexiſſe arbitror. Quibus libris tanquam ingenuis, hic veluti verna à ſeruo homine (proh dolor) in ergaſtulo genitus, edituſq;, quo pacto rectè ſociari poßit, non ſatis perſpicio; niſi (quod fieri poſſe video, ac ſpero) tam proſpera ille vtatur fortuna, vt me poſtliminii iure per te in priſtinum ſtatum facilè reducto, ingenuitatis beneficium adipiſcatur. Si verò me ſpes minimè fallat, & eam, quæ id præſtet, mihi citò diem illuceſcere videam; te mihi Deum fuiſſe, poſteritati prodere ac prædicare potero, ac dum viuam cum Virgilio de te ſemper loquar,*

* vt de machinis Belgicis, de Vrbium expugnatione.

Nanque erit ille mihi ſemper deus, illius aram
Sæpe tener noſtris ab ouilibus imbuet agnus.

Tibi vitam, tibi libertatem, qua nihil mortalibus, ac etiã brutis, carius eſſe conſueuit, tibi fortunas omnes debebo. Variis periculorum fluctib. iactatus, iam proſpera ac ſecunda aura, Illuſtriſſime D. in ædes tuas tanquam in portum me propelli, videre videor, iam limen ſaluto, iam poſtes, iam atrii pauimentũ exoſculor, & ab atrienſibus ſeruis excipior: iam raſo capite, hoc eſt (vt rectè

Eutro-

Eutropius ait) seruitute detersa, pileum Pannonicum (pileum olim signum fuisse libertatis, optimè nosti) tuis è manibus accipio: te Dominum meum, te deum saluto: iam longarum ærumnarũ, iam duri laboris, iam minarũ heriliũ obliuiscor.

Sed iam tempus est vt ad propositã de Tintinnabulis *seu* Campanis *tractationem deueniamus.*

DE TINTINNABVLI VOCE, *& quàm verè Ioannes Tortellius, atq; alii* Tintinnabula *apud antiquos fuiſſe negauerint.*

CAPVT I.

INTER multa, Orator Illuſtriſſime, quæ homines iure ſociati excogitarunt, non poſtremum ſibi locum vendicant TINTINNABVLA: ſiquidem his commodè diei noctisq; horæ diſtinguuntur, magiſtratus, comitia minora, maioraque conuocantur, ſacerdotes diuinum ad cultum, & multi mortales ex vrbe quamuis magna excitantur, & ſonitu crepituque non ingrato, vt in eccleſias frequentes conueniant, allici, & quaſi rogari cõſueuerunt: & quibus, cũ ad arma accerſiri ciues oportuerit, hominũ corda, menteſque ad dimicandum accenduntur; vt multos nũc TINTINNABVLORVM alios vſus, de quibus infrà ſcripturi ſumus, omittã. De his, cũ neminẽ, qui ad hãc vſq; diem latè pertractauerit, repererim, ſcribere, &

pro

pro viribus posteritati prodere visum est. Ac quia omnis de TINTINNABVLIS sermo futurus est, antea de *Tintinnabuli* voce aliqua protulisse par est. CAP. I.

Est igitur sciendũ, sonorum hoc instrumentum non simplici nomenclatura significari; siquidem *Tintinnabulum*, *Petasus*, *Codo*, *Nola*, & *Campana*, & *Lebes*, à scriptoribus dicitur.

TINTINNABVLVM à *tinnitu*, quem, dum pulsatur, edere solet, dici arbitror: tinnitus autẽ æris est; & ex ære primũ, mox ex ære, stanno, plumbo, argentoq; nonnunquam admistis, fieri tintinnabula cõsueuisse, nemini dubium est. *Aes* autem ab aëre, sine quo vox, sonusq; fieri non possunt, vt è vocis definitione apud Aristotelẽ, Auicennã, atq; alios patet, Galeotus Martius Narniẽsis, olim MATHIÆ CORVINO Pannoniæ Regi in litteris præceptor, & in castris miles, testatur appellatum, in libro, quem *de doctrina promiscua* conscripsit: nullum nanque ex metallis perinde ac æs sonorum esse dicit; nisi si in argento ille mentiri videatur. sed hoc alterius loci est. Illud autem *Bulum*, in voce *Tintinnabulum*, nihil omnino significat, sed est quædã vocabuli productio, vt in *prostibulo*, *mandibula*,

incitabulo, *mendicabulo*, & aliis huiuſmodi non paucis. Tinnitus autem, qui pulſato hoc inſtrumento fieri ſolet, voce hac optimè exprimitur, vt in voce *bouis*, *boatus*; etenim tintinnire æra ſolent, id eſt, *Tin*, *Tin*, pulſata perſonare. A *tinnitu* igitur, ſiue à voce *Tin*, *Tin*, quæ cum æs increpuit, editur, *Tintinnabulum* dici, tam apertum eſt, vt huius rei gratia nullam Grammaticorũ ſcholã nobis ſit neceſſarium ingredi.

PETASVM dici maius tintinnabulum, à *petaſi*, id eſt, galeri forma & ſimilitudine, nemini obſcurum eſſe videtur. *Petaſum* autem à Varrone in tholo huiuſmodi inſtrumentũ appellari (ſi memoria fideli, in depoſito vtor) aliquando animaduerti: quanquã & in Laconico clype⁹ æreus, per cuius deductionem, & reductionem calor augeri, vel imminui conſueuiſſet, ſic dicitur; vt apud Vitruuium, vbi de balneo agit, perſpicere licet. Quem clypeum in thermis ac balneis pulſari conſueuiſſe, & à Martia-
lib. XIV. *Epig.* le ſignificari, vbi ait, *ſonat æs thermarũ*, ſunt qui non ſine errore affirment: ſiquidem verum tintinnabulum, vt infrà ſuo loco demonſtrabitur, pulſari in thermis conſueuit, vt homines lauatum atque vnctũ conuenirent.

CAP. I.

CODONES à Græcis Tintinnabula nuncupari, nemo eſt qui neſciat. *Codones* autem dici, eo quod dum mouentur ſonũ & quaſi cantum edere ſolent, Græca, vt par eſt, etymologia, teſtantur Ioannes Grã-maticus in Commentariis in libros Ariſtotelis de Anima, & Suidas in Lexico ſuo, ſiue Collectaneis. tametſi à forma & ſimilitudine capitum plantæ papaueris, quę *codonũ* voce à Grȩcis ſignificantur, *codones* dici tintinnabula, aliquis nõ ſine ratione fortaſſe contendet.

NOLÆ etymologiam in obſcuro poſitam eſſe, affirmare auſim; etſi nonnulli, vt Polydorus Virgilius de Inuentoribus rerum, & alii Tintinnabulũ dici *Nolam* crediderint, à Nola Cãpaniæ vrbe, cuius Epiſcopus Paulinus nolæ, ſiue campanæ inuẽtor fuerit: qua in re halucinantur. nam ante Paulinum Epiſcopum Nolanũ, de quo Gennadius in additamentis ad D. Hieronymi librum De Viris illuſtribus ſcribens nihil tale profert, *Nolæ* mentionem fecit Quintilianus, qui Domitiani Imperatoris ętate floruit. Satis enim illud tritum eſt ſermone prouerbium, *In cubiculo nola.*

lib. III. *c.* XVIII.

CAMPANAM quoque à Campaniȩ vrbe prænotata dictam, opinantur, ab ære ſcili-

cet Campano, vel quod in vrbe Campaniæ primum reperta sit. Sanè à Temesa, Campaniæ vrbe, in qua æris vis ingens extiterit, quidã ab Ouidio in Fastis *Temesæa æra* dici autumant. Ego quod *Campanæ* vocabulum in antiquis scriptoribus minimè legatur (apud Diuum Hieronymum duntaxat, qui noua, & parum Latina verba sæpius vsurpat, *Campanæ* mentionem in Regula san ctimonialium reperio) Gotthicam vocẽ, vel ab artifice campanarũ præcellente, cũ frequens nolarum, siue tintinnabulorum maiorum vsus in ecclesiis esse & cœnobiis cœpisset, *Campanam* dictam fuisse censuerim. Suum tamen hac in re cuique iudicium liberum esto.

lib.v.

DODONÆOS *lebetes*, qui in prouerbium migrauerint, in Iouis Dodonæi templo, vbi sacerdotibus responsa dabantur, sonora ex ære tintinnabula à quibusdam dici, & à similitudine lebetũ sic vocitata, haudquaquam ignoramus: quibus calculum nostrum libenter adderemus, si veterum non ambiguis auctoritatibus niterentur. Verùm si non campanæ fuerint Lebetes illi, eos tamen campanis non omnino absimiles extitisse, credendum est; vt maximè sonori in prouerbium asciti sint.

Illud poſtremò, quod ad Tintinnabuli varia nomina attinet, minime eſt ſilentio inuoluendum, Franciſcum Petrarcham, hominem ſuæ ætatis non indoctum omninò, in vernaculis ſuis cantionibus, campanas, SQVILLAS appellaſſe, voce non quidem, vt ego arbitror, Italica Tuſcave, ſed è Gallia deſumpta. Inde apud noſtrates verbum, *Squillare.* CAP. I.

Sed de *Tintinnabuli* nominibus, hæc dixiſſe ſufficiat. nunc ad reliqua pergamus.

Ioannes Tortellius Aretinus, Laurentii Vallæ amicus, cuius lexicon omnino nõ contemnendum legimus, quòd Tintinnabuli, ſiue Campanæ frequentem in auctoribus mentionem non obſeruaſſet, campanas apud antiquos in vſu fuiſſe negauit: in cuius ſentẽtiam & alii diſceſſerũt. Verùm Galeotus Martius in eo, quem ſuprà citauimus, libro, Tortellium eo nomine reprehendit non iniuria, tametſi *miſerum, & ſomniorum ſcriptorẽ,* exulcerato animo, & iniquo appellet. Quamquam fortaſſe Tortellius ſenſit de campanæ, quem ſua ætate cõſpiciebat vſu, ſcilicet in templorum turribus. quod ſi verum ſit, eum ego à Galeoti nota defendendum puto: nam huiuſmodi turres tintinnabulis ſonoras veterum

Christianorum vel etiam Ethnicorũ templa habuisse antiquitus, minime legimus.

DE PRIMO TINTINnabuli inuentore.

CAP. II.

VT rerum multarũ, ita & Tintinnabuli inuentorem ignorari sæculorũ culpa, certo scimus. Plinius, qui in libris naturalis historiæ tintinnabulorum, quæ sepulchro Porsenæ Regis Tuscorum imminerent, mentionem facit, & ca-
l.vii. c.lv. put vnum satis prolixum rerum inuentoribus dicauit, nihil omnino de Tintinnabuli inuẽtore protulit. Paulino Episcopo Nolano, viro admodum sancto, Tintinnabuli inuentum nonnulli adscribunt, qua de re apud Polydorum Virgilium in libris de inuentoribus rerum. Franciscus Petrarcha, & alii, ac nouissimè Panuinius, Sabinianum Pontificem Romanum in eum, quem hodie cernimus, vsum, templorum turribus campanas primũ imposuisse testãtur. Diuus Hieronymus in Regula sanctimo-

ctimo-

ctimonialium, campanellæ sonitu in vnū conuocari iubet sanctimoniales, & à *campana, campanilem*, seu potius *campanalem so-nitum* appellat. Ego vt paruorum Tintin-nabulorum vsum in cœnobiis antiquitus extitisse affirmauerim, cum & in priuatis nobiliorū ædibus, vt infra patebit, agno-scatur, ita audacter negauerim, Christia-nos homines campanis, altioribus templo-rū pinnis, aut turribus impositis, antiquio-ribus sæculis accersiri consueuisse; cum sub ista Christianæ fidei initia, ac succe-dentibus etiam temporibus, Christianum nomen esset inuidiosum; adeò vt *Iudaica superstitio*, fides nostra in Pandectis à Iure-consulto Ethnico (quod Andreas Alciatus In Parergis. optimè aliquādo adnotauit) appelletur; ac oporteret clam in ecclesias conuenire, nō pulsatis tintinnabulis; quod ea res amplio-ris securitatis, & auctoritatis non parum præ se ferret. Sanè Plinius Cæcilius in epi-stola ad Traianū Imperatorē, vbi de Chri-stianis, & Christianorum conuentu, & cō-munione agit, cum omnia, quæ facerent Christiani, exequatur diligentissime, hu-iusmodi tintinnabulorum nullam facit mentionem; alioqui, si fuissent in vsu, cum res esset momenti non parui, silentio non

transmissurus. Quamobrē existimauerim tunc Christianos editis locis turribusque Tintinnabula imposuisse, atq; suspendisse, cum Ethnicorum principum odia iam satis refrixissent, ac piorum Ecclesia caput Martyrum sanctorū cruore non tam fœdatum quàm exornatū extollere cœpisset.

DE MAIORIBVS, PVblicisq; antiquorum Tintinnabulis.

CAP. III.

NEMINI, qui in humanioribus litteris vel parum fuerit versatus, obscurū esse debet, antiquos non solum minora, sed etiam maiora Tintinnabula vsurpasse. Notum satis est illud Martialis,

——sonat æs thermarum, ponite pilam.
Virgine vis sola lotus abire domum?

Redde pilam, sonat æs thermarū, ludere pergis?

Quanquam sunt qui illud æs ad clypeum æreum referant, qui cathena pendebat ex orbiculari fenestra fornicis Laconici, per cuius deductionem, ac reductionem, nūc augebatur, nunc imminuebatur calor; de quo clypeo mentionem facit Vitruuius. In Laconico tamen Pisano, qui integer adhuc

adhuc è maximis thermis ad portam, qua itur Lucam, ſpectatur, & de quo Robortellus meus libellum edidit (vt hoc obiter adnotemus) non vt in ceteris, orbicularis feneſtra in fornicis medio ſpectatur, ſed multilatera, & aliæ multæ circum quadrilateræ altera parte longiores, quas, pendẽte è media clypeo, ſpeculari lapide, aut velo, aliave materia, quæ lucem tranſmitteret, claudi conſueuiſſe, ne vapor ſtatim effluerer, facile crediderim. Nũc ad rem noſtram redeamus. Qui id de clypeo illo exiſtimant, magno, vt mihi videtur, in errore verſantur; quod vnius duntaxat ſcriptoris auctoritate apertum facio. Siquidem Aelius Spartianus ait, neſcio quem Romanum Imperatorẽ è thermis *tintinnabulum* amouiſſe. Si vero aliquis *tintinnabulum* pro clypeo illo accipi cõtendat, erroris facilè conuinci poterit. Nam amoto è thermis, id eſt Laconico, æreo clypeo, haud ſatis intelligo, quo pacto ſudatorii ratio conſtaret. Adhæc ſi clypeum pulſari conſueuiſſe dicamus, vt hoc pacto lauaturi conuocarentur, non ſatis perſpicio, quam commode id fieri poſſet, illo ex alto ſatis loco propendente. Altum nanque Laconici Piſani fornicem eſſe vnuſquiſque videre CAP. III.

poteſt: locus enim Robortelli cura, dum humaniores litteras in Piſano gymnaſio profiteretur, optimè fuit repurgatus. Quod ſi è ſuperiore fornicis parte malleo, vel alia prædura materia clypeum tundi ſolitũ, ſuſpicetur aliquis; & hic videat quàm rectè id, & ſine cathenæ deductione, vt calor exhalaret, ac ſudatorium nonnihil refrigeſceret, fieri potuerit. Accedat eo, quod cùm thermarum conſtructio latè pateret, vſque adeo vt Romæ thermę Diocletianę, quantum hodie è ruinis cognoſcere licet, municipii magnitudinem facilè æquarēt, ſonus ex ictu clypei intra fornicem illum, clauſumq́; locum editus, ad omnes, qui in thermis agerent, & lauaturi conueniſſent, peruadere non poterat. Nec ad rem pertinet, ſi quis dicat, locum, in quo lauaturi pila prius exercebātur, fuiſſe Laconico proximum, vt vel à ſurdaſtris clypei ſonus audiretur. nam reſpondeo, tinnitũ æris thermarum, hoc eſt tintinnabuli, quo de agimus, procul etiam audiri, & percipi cōſueuiſſe, vt non ſolum qui pila exercerentur, & in thermas cōueniſſent, ſed & qui à thermis longè abeſſent conuocarentur lauatũ: quod Ciceronis auctoritate probatur; ſiquidem in Tuſculanis (niſi me fallit in lo-

ci

ci indicio memoria) ait, *ſimulatq; increpuiſſet*, id eſt (vt ego interpretor) thermarum tintinnabulum tinnitum edidiſſet, *Romanos, relictis Philoſophis & præceptoribus, vnctũ* (nam qui lauiſſent, vngebantur) *ire ſolitos*. Sed in re aperta teſtibus vtor non neceſſariis. CAP. III.

Tintinnabulorum maiorum non ſolum in thermis, ſed etiam in aliis vrbium partibus, ſi non apud Romanos, ſaltem apud alias nationes nonnullas, locum fuiſſe ad conuocandos in mercatum homines, ex Strabone cognoſcere eſt: rem enim non *lib. XIV. Geog.* fictam, ſed factam Iaſſi refert, ſcitu dignam, Citharœdum canentem ea in vrbe, homines non paucos circumſtetiſſe; eos è re nata vniuerſos, præter ſurdaſtrum, ſtatim diſceſſiſſe; citharœdum ad ſurdaſtrũ conuerſum, illi gratias agere cœpiſſe eo nomine, quod cum ad tintinnabuli ſonum reliqui omnes eum reliquiſſent, ſolus ille auditor perſtitiſſet; quare ſurdaſter cognita, vale homini dixerit, quod ſonus ille iam vendi piſces indicaret. Credere autem par eſt, tintinnabulum illud Iaſſicum, & magnum fuiſſe, & edito loco ſuſpenſum, vt ab omnibus ciuibus illius poſſet ſonitus audi-

ri. Alia de maioribus, publiciſque tintinnabulis à me hactenus non ſunt obſeruata; quamobrem hic caput reprimo.

DE TINTINNABVLIS SEpulchri Porſenæ Tuſcorum Regis.

CAP. IIII.

MARCVS ille Varrro, qui quòd multa mãdauerit litteris, Polygraphotatos dictus eſt, Porſenæ antiqui Tuſcorum regis ſepulchrũ graphicè appinxit, vt perſpicere licet apud Plinium in libris naturalis hiſtoriæ; nam Varronis opera, præter pauca, quæ ad ætatem noſtram peruenerunt, deſiderantur. Huic ſepulchro, quantum memoria aſſequi poſſum (nam libris omnino, vt patet, deſtitutus sũ) quatuor erant pyramides adſtructæ. ſupremæ pyramidum partes cathenis iungebantur, à quibus tintinnabula non pauca propendebant, quæ cum flarent venti, concuſſa, ſonitum, qui longe peruagaretur, edebant. Hæc autem tintinnabula non admodum magna fuiſſe, haud ægrè crediderim, ſiquidem

dem maxima, aut ſaltem mediocria ventis agitari, aut permoueri nequeũt, vt tam manifeſtũ eſt, quàm quod manifeſtiſſimum.

QVIS OLIM VSVS ESSET Tintinnabuli in priuatis Romanorum ædibus.

CAP. V.

LVCIANVS Samoſatenſis agẽs de his, quę mercede conductis viris doctis Romæ ſolerent vſu venire, inter cetera, quę doctè admodũ atq; eleganter conſcripſit, ait, *in ditiorum ædibus familiam tintinnabuli ſono excitari conſueuiſſe.* Ædes enim cùm ampliſſimas haberent Romani, cuius rei nos adhuc admonent ruinæ; & ſeruorũ greges, quod hodie Turcæ faciunt, poſſiderent, domique, vt villicos omittamus, alerent; tintinnabulis (quẽadmodum in monachorum cœnobiis eſt in more poſitum) familiam mane excitandam curare alia re vlla, quàm tintinnabuli concrepatione, & tinnitu, non potuiſſe cõmodè, eſt omnino manifeſtũ. Hodiè etiam Romæ videmus ampliores, quàm par ſi-


purpuratorum Flaminum siue Cardinalium, & principum familias pransum, cœnatumque tintinnabulis in superioribus ædium partibus suspensis, conuocari; adeo vt non solum qui domi sunt, sed etiam qui domo absunt sonum audiant, & sui quisque domestici tintinnabuli tinnitũ, multis personantibus, agnoscat.

AN APVD ANTIQVOS horæ, vt hodie, tintinnabuli sono distinguerentur. Luciani locus antea obscurus, declaratus.

CAP. VI.

ADMONENT me superiora, vt Luciani locum antea obscurissimum, apertum, perspicuumque reddam. Existimant nonnulli, apud antiquos, diei, noctisque horas tintinnabuli maioris sono distingui & significari consueuisse, ea solum auctoritate innixi, quod Lucianus litteris prodiderit, *horas per aquã et sonitum sua ætate demonstratas*. in quorum ego aliquãdo sententiam pedibus discessi. Verùm postea factum est vt aliud sentirẽ, quod esset absque

que dubio probabilius. Primum enim cœpi mecum addubitare, quod Plinius, qui res huiuſmodi multas exequitur, & Vitruuius, deſcriptis antiquorum ſolariis, id eſt horologiis, quæ in ſole, vmbrâ horas (quod etiam hodie fieri videmus) diſtinguebant, ac tranſeuntibus demonſtrabant, nihil omnino de ſonoro horologio loquantur, nullaq; eiuſmodi arte non vulgari inſtrumenti fabrefacti mentio apud antiquos ſcriptores reperiatur. Mox accidit vt Ioannes Nicolaus Iuſtus, affinis meus, ac vir doctus, libri veteris mihi copiam faceret, in quo, præter alia multa inſtrumenta horologium, quod per aquam & ſonitum conſtaret, Luciani horologio nō abſimile, graphicè eſſet delineatum: cuius formam vtcunq; hîc apponendam eſſe duxi, vt quiſque Luciani locum nullo negocio cognoſcat. CAP. VI.



A Tintinnabulum. B Axis, cui alligatur funis, à quo pondus aliquod pendeat. C Pondus. G Lignum in quo pondus quie-

quiefcit. D Vncus continens pondus ad tempus, ne dilabatur. F Aqua paulatim fubfidens. E Orbis è fubere, continens ferrum adfixum, horarum indicem, cuius pondere cum aqua è paruo foramine vitreæ clepshydræ dilapfa paulatim, fubfederit, vncus D funiculo H defignato retrahitur: quare fit vt lignum G declinet, & eo declinante, ponderéq; dilabente, axis B voluatur, & axi A voluendi caufam præbeat, vnde tintinnabulum concutiatur, & increpet. Iam vides Luciani horologium clepshydra, & tintinnabulo conftans.

DEAE SYRIAE SACERDOTEM *vti confueuiffe Tintinnabulo.*

CAP. VII.

CAP. VII.

ANte quàm Lucianum dimittimus, illud nolim lectorem ignorare, Syriæ Deæ facerdotē, vt idem auctor litteris prodidit, tintinnabulo vti confueuiffe. Ait namque, *ante Syriæ Deæ templum phallos duos miræ altitudinis fuiffe ftatutos: in hos facerdotem ea folitum arte confcende-*

re, qua Syri palmas altiores, nimirum fune caudici aduoluto (duplicem hunc esse oportuit, vt dum in altero pedes eius, qui conscendere vellet, cõsisterent, alter altius promoueretur) *ac paulatim ad superiores partes protracto. cùm verò ad summas phalli partes perueniſſet, orare, sacra facere, ac inclamare cõsueniſſe, atque interim tintinnabulo sonũ edere, vt verbis tinnitus ſociaretur.* Aes namque in sacris nõ modicam vim habere, existimabat antiquitas. Sunt præterea qui putent, Deæ eiusdem sacerdotes, qui stipem non modicam passim emendicantes, siue potius corradentes, colligerent (hos Cicero in libris de legibus, *domos exhaurire & vrbem superstitione implere* dicit) tintinnabula vsurpasse; uisiturque inter antiquorum statuas, Romæ opinor, sacerdos huiusmodi cum pera, & tintinnabulo. More non absimili apud Italos nostros, qui Diui Antonii fratres nũcupantur, passim eleemosynas colligentes, statim atque in pagos, & vicinias peruenerint, tintinnabula mouent, quod tinnitus religionem quandam præ se ferat (etenim Diuum Antonium cum tintinnabulo appingi videmus) & eos, qui aliquid daturi sint, accersat. Eodem, cum iis, qui benigne fecerunt, piè salutem æternam à

DEO expoſtulant, identidem perſonant. Quod & Iſiacos feciſſe arbitror. CAP. VIII.

BRVTA QVOQVE TINTINNABULI ab vſu non excludi.

CAP. VIII.

NON ſolum autem homines, ſed etiam bruta, quæ ſub hominis imperio degerent (hæc *pecudũ* nomine appellari, Laurentius Valla in Elegantiis teſtatum reliquit) hominis tamen arte, olim tintinnabulis perſonabant. Strabo auctor eſt, pecudibus fuiſſe adalligata tintinnabula, vt tinnitu noxiæ feræ ab ipſis arcerentur. Hodie quoque paſtores, more antiquo perdurante, ouium, caprarum, ſuum, boum, equorumque collo tintinnabula aptare ſolẽt, non ad terrendas feras (nam & pecora, quæ tintinnabula geſtant, à feris impeti, & necari experimẽta nõ ſemel docuerunt) ſed ad deprehendendum quibus in locis nemorũ, montium, valliumq; oberrent, atque hac ratione longæ inquiſitionis labor abſit. Præterea exſtimant, tintinnabuli ſono pecora, perinde ac tibiæ,

gaudere &pinguefcere:quamquã ea quod non fint harmonicè compofita, harmonia oblectari, negãt Philofophi; fed quàm verè,ipfi viderint. Equidem in mari è naui fępius perfpexi fibilo delphinos à nautis allici,& quafi prę gaudio exultare, atque detineri. Paftorum quoque fiftulis ceruos fifti, & quadam quafi dulcedine capi, cognitum eft;poffumque ego teftari,me Anglaræ cicurem carduelem fpectaffe non femel, qui, fidibus canente citharœdo, mirum in modum exultaret, & per mille vocum difcrimina (vt Ouidii verbis vtar) cantum ederet; citharœdo quiefcente, & ille quoque quiefceret, ac fileret: vt quifque facilè intelligere poffet, auiculam à vi mufica in hominis morem permoueri.

Olim oblectamenti, atque ornatus gratia muliones,atque agafones equis, mulifque tintinnabula alligabant,quod & hodie paffim fieri videmus. Quamobrem Lucianum primum, mox Apuleium afinis illis fuis egregiis tintinnabula fufpendiffe videmus. Romæ quoque in antiquis marmoribus,& fculpturis, vifuntur elephanti, è quorum collo propendẽt tintinnabula; quam rem & in vetufto numifmate me olim obferuaffe memini hac forma.



Hodie in multiplici tintinnabulorũ vſu non ſolum quadrupedibus ſed etiam auibus tintinnabula alligantur: ſiquidem hieracarii, quos *Accipitrarios* Latinè vocamus, aquilis, maioribus, minoribuſque accipitribus tintinnabula alii ęrea, alii argentea coriaceis compedibus aſſuunt, ea de cauſa, vt cum euolauerint, atque inter arbores fruticeſq; conſederint, nec veniant in conſpectum, facile poſſint inueniri.

DE TINTINNABVLIS *Hebræi Sacerdotis.*

CAP. IX.

NON ſine piaculo ſacerdotis Hebræi tintinnabula, cum omnia, vel minima quęque antiquorum perſequamur, hîc omitti poſſe videntur. Quamobrem & de his mentionem faciendam eſſe duximus, præſertim cum & Plutarchus in Sympoſiacis ſuis quæſtionibus, tametſi à fide noſtra multũ alienus, de his ſcriptum aliquid reliquerit. Neminem, qui vel à limine ſacras litteras ſalutauerit, latet,
Exod. 39. Hebræorum multæ, vt par erat, exiſtimationis

tionis ſacerdotem, in extrema veſtimenti ora, tintinnabula multa ſonora, meſpila, ac mala punica identidem ſonora, vtpote quæ metallica eſſent, & vacua, pilulaſque ferreas, aut æreas ad edendum tinnitum continerent introrſum, cum in ſancta ſanctorum ingrederetur, geſtare conſueuiſſe, vt dum graderetur, ſonitus multiplex ab his, qui in templum conueniſſent, facile poſſet audiri. Quorum ſymbolicam, atque arcanam ſignificationem Diuus Hieronymus pluribus docet, referens ea ad elementa, & tonitrua. cuius verba, quod libris in ergaſtulo omnino (quod alias diximus) caream, non adſcribo; quod in multis aliis auctorum, quæ à nobis aduocantur, teſtimoniis facere cogimur, vt etiam ea de cauſa veniam ab humano lectore impetraturi ſimus, ſi ſępius, quam in aliis quæ in vulgus edidimus ſcriptionibus, hîc memoriæ vitio errauerimus.

CAP. IX.
Ioſephus lib. 3. antiq.
Origenes in Exod. cap. 35.
Polyd. Virg. lib. VI. c. XII.

QVIS MINORVM TINTINNABulorum publicè olim apud antiquos vſus eſſet.

CAP. X.

TINTINNABVLORVM maiorum quis vſus eſſet publicè, apud antiquos, ſatis, opinor, ſupra fuit à nobis demonſtratum. Nunc eſt de minoribus agendum: quanquam & huc ſpectant Hebraica tintinnabula, quorum ſuperiore capite facta eſt mentio. Parua nanque erant, vtpote quę veſtis orę, ſiue limbo aſſuerentur, ab ea pendere poſſent, & à ſacerdote non magno labore geſtarentur: ac non ſolum parua, ſed publicum in vſum, vt patet, aſcita.

Ariſtophanes in Auibus, vbi de ridicula illa ciuitate agit, iubet Codonophorũ, hoc eſt, *tintinnabuli geſtatorem*, circumcurrere: inquit.n. κωδωνοφορῶν περίτρεχε. ad quę verba ſcholiaſtes Gręcus, vir doctus, ſcriptum reliquit, eos, qui circumibant vrbem, & phylacas, id eſt *excubias* ac *vigiles*, geſtare cõſueuiſſe tintinnabula, vt num vigiles vere vigiles eſſẽt, deprehẽdere poſſent, quod

ipſum & ab Heſychio ſcriptum me Fammochuſtæ Cypri ſuperiore anno legiſſe memini. Deprehēdēdi verò modus tintinnabulo quis eſſet, non produnt. Quamquam coniecturæ locus eſt, Codonophorum circūcurrentē (eos hodie, qui id muneris obeunt, *Rondam* vocari vulgò, ſatis eſt notū) tintinnabulo perſonare ſolitum; cui ſi non ſtatim vigiles occurriſſent, vel aſſurrexiſſent, eos minimè vigilaſſe, ſed tinnitu è ſomno excitatos fuiſſe, apertū erat. Morem hunc tintinnabulo circumeundi vigilias in vrbibus, apud antiquos Græcos duntaxat extitiſſe cenſuerim; ſiquidem maximè antiquum, & antiquæ comœdiæ ſcriptorem Ariſtophanem fuiſſe ſcimus; & nihil tale hiſtorici, ſiue Græcos ſiue Latinos quæras, in vrbib. factum eſſe dicunt. Romanos, dum vigiles mutarent, buccina canere, non tintinnabulo vti conſueuiſſe, cōſtat; quod * Lucanus ſignificat, dum ait:

CAP. X. v. Κωδωνοφόρων.

Et iam quarta canit venturam buccina lucem.

* *Propertius.*

Germani verò noſtra ætate, cum vigiles mutant, tympanum pulſant, & tibia canunt.

Præter Codonophoros, qui phylacas circumirent, erant & alii Codonophori,

qui atrati funus præcedebant, dé quibus Suidas, & poſt Suidam Gulielmus Budæus. Funeri autem adhiberi conſueuiſſe arbitror, tum vt ad ſpectandam funebrem pompam homines accerſerentur, tum vt Flaminem Dialem admonerent funeris, ne ille ex improuiſo funeri occurreret, & funebribus tibiis auditis pollueretur. Funebres namque tibias Flamini Diali audire non licuit, quanuis funus exequi poterat; ut eſt ab Aulo Gellio obſeruatum.

lib. x. Noct. Attic. cap. xv.

DE TINTINNABVLO EORVM, qui ad ſupplicium ducerentur, & triumphantis Imperatoris.

CAP. XI.

lib. 11.

ZONARAS Grçcus hiſtoricus non omnino contemnendus, (cuius ſcripta ſuperioribus annis carie obſita, in Græcia reperta ſunt) auctor eſt, conſueuiſſe è ſontium collo tintinnabulū ſuſpēdi dum ad ſupplicium ducerentur, ne ex eorum improuiſo contactu aliquis pollueretur: ſiquidem tintinnabuli ſono audito eos vitare vnicuique integrum fuit. Ex hac

hac consuetudine factum est, si eidem Zo- CAP. XI.
naræ credimus, vt triumphantis Impera-
toris currui tintinnabulum cum scutica,
siue flagro adalligaretur, quibus instru-
mentis, quorum vsus plectendis homini-
bus esset, in magnæ felicitatis cumulo Im-
perator admoneretur, ne plus quam par
esset efferri ac superbire vellet, sed huma-
næ miseriæ recordaretur: quam rem à
nullo alio proditam scriptore Græco, aut
Latino, mirari subit. Sanè Plutarchus in
Scipione Æmiliano omnem triumphi
pompam optimè explicans, nihil tale scri-
ptum reliquit, vt suspicer quod est à Zona-
ra litteris mandatum, non antiquitus, sed
sub recentiorib. Imperatoribus fieri con-
sueuisse, nimirum temporibus sæculisve
Zonaræ proximis. Etsi Obertus Gifanius
vir eruditissimus, & amicus mihi longe
carissimus, ea de causa hac in re fidem ad-
hiberi posse Zonaræ mihi Venetiis ali-
quando affirmauerit, quòd Cornelius Ta-
citus Zonaræ fidem adiuuet in eo, quod
de verbis Imperatori triumphanti à nescio
quo inclamari solitis, scribit, scilicet ne
gaudio nimio efferretur: viderique Zo-
naram, recentem præ Cornelio Histori-
cum, ex antiquo aliquo scriptore, quæ su-

ſupra retulimus, deſumpſiſſe. Quod ad ſontes, qui ad ſupplicium cum tintinnabulo ducerentur, attinet, haudquaquam eſt ignorandum, Plautum parte aliqua Zonaræ adſtipulari, dum quodam loco egreſſuri extra portam Metiam ſerui cum patibulo, de laniis duobus, & tintinnabulis, meminit. ſiquidem apud Plautum legendum videtur, *cum tintinnabulis*, non autem, *cum tintinnaculis*, vt habent exemplaria vulgata: qui locus malè à quibusdam explicatur, dum *tintinnacula* pro virgis accipiunt. Quamquam *tintinnacula* pro tintinnabulis antiqua voce à Plauto dici ſuſpicari poſſimus.

in Pſeudolo.



Figuram eius, qui ad ſupplicium ducere-retur cum tintinnabulo, apponere libuit, vt humanus lector rem melius percipiat, & veluti præſens, antiquitatem aliqua cum voluptate intueri, & quaſi contrectare poſſit.

DE ANTIQVORVM TYMpano, quòd tintinnabula multa contineret.

CAP. XII.

VT nihil antiquitatis penitus ignoretur, ſciendum eſt, antiquitus cognitum eſſe TYMPANORVM vſum, vt apud Strabonem atq; alios me adnotaſſe memini. Suidas quoque ſi non admodum antiquus auctor, antiquitatum tamen collector non aſpernandus, tympana vſurpaſſe antiquos demonſtrat, deſcribitque tympanum quoddã, cui introrſum multa appenſa eſſent tintinnabula, vt dum pulſaretur, mirum ederet ſonum. crepitu nanq; tympani, & quaſi boatu grauiore, acuto tintinnabulorum tinnitui, ac concentui permiſto, mirus ſonus edebatur. Huic nõ abſimile tympanum ratione muſica fabrefactum, ſe aliquando Venetiis conſpexiſſe, mihi narrauit Ioſephus Zarlinus Clodianus, noſtræ ætatis muſicorum facilè princeps, & amicus mihi optimus, atque gratiſſimus.

Viſuntur quoque antiquorum CROTALA

LA marmore expreſſa, quæ tintinnabula af- Cap. XIII.
fixa continēt. Turcarum Crotala ſuperioribus diebus Galatæ Conſtantinopoleos vidimus, quæ è bractea ærea orbes continerēt tintinnabulorum vicem exhibentes; ſonum non ingratum edentia. Similia etiam cum tintinnabulis ſunt noſtris cognita. Vidi non ſemel in patria Nicolaum Leccium tonſorem, ac ſcurram crotali huiuſmodi ſonum ita citharæ ſociantem, vt muſicus concētus non ingratus ederetur. Turcæ autem tibiarum ſonum crotalis iungūt, & humanis vocibus, mehercule optimè.


DE SVPERIORVM SAECVLORVM caſtrenſi Campana. Accurſii locus declaratus.

Cap. XIII.

TINTINNABVLI caſtrenſis me ſonus à Tympanis, & Crotalis auocat. Eſt igitur ſciendum, ſuperioribus ſæculis, nec admodum vetuſtis temporibus exercituum Imperatores, iam tintinnabulorum maiorum in Chriſtiana templa vſu recepto, in caſtris, quaſi in quadam ciuitate

ambulatoria, & turricula campanaria è ligno identidem ambulatoria vti consueuisse, è qua tintinnabulum admodum magnũ penderet. *Carrocium* voce Itala, quasi *currum magnum* dicas, appellabant. currus enim alterioris formam parte aliqua exprimebat. Positis castris, prope Imperatoris tentorium Carrocium locabant, & princeps signũ militare mutum in suprema parte figebant. Sole occidente, & mane ante lucem, vt fit in Christianorum templis, tintinnabulũ miles aliquis pulsabat, Deiparam Virginem salutatione Angelica, & DEVM Opt. Maximum oratione Dominica venerandi signum perspicuum præbens. Cum bellicum canere oporteret, eodem tintinnabulo milites ad arma vocabantur. Cum in hostem progrediẽdum acieq; confligẽdum esset, Carrocium in media acie cum signo prænotato, & tintinnabulo sistebant, & tanquam Imperatorem illud circumuallatum custodibus, ab hoste, ne caperetur, tuebantur; tantumq; erat tuendi ac defendendi studium, tãtus militum ardor, vt quem locum quisq; vivens occupasset, eum amissa anima, corpore tegeret. Maximi enim dedecoris loco Carrocium amisisse, habebatur. Quamobrem Accursius, qui multos annos Bononiæ versa-
tus

tus eſt,in quodam ſuo gloſſemate ait, *regulæ* cuidam *inhærendum,tanquam ſolent Bononienſes Carrocio*;quę verba mox apud noſtros Iureconſultos in prouerbium venerunt,cuius meminit Alciatus in libris de Verborum ſignificatione.De hoc Carrocio ſcriptum reperies in Chronicis Villanii Florentini,qui Florentinorum Carrocium à Senenſibus captum fuiſſe,memoriæ prodidit,et,ſi rectè memini, *MartinoZum* vocat. An aliæ nationes,pręterItalos,huiuſmodi curru in caſtris vterentur,mihi adhuc eſt incognitum. Nũc Carrocii figuram cum tintinnabulo & vexillo delineemus.



DE

DE VIRTVTE TINNITVS AERIS & Tintinnabulorum, iuxta quorundam quamuis non ab omnibus approbatam opinionem.

CAP. XIV.

ÆRIS vim esse non modicam, putauit antiquitas. Ideo sacerdotes æreis cultris vtebantur, vt est à me apud Noniũ Marcellum atque apud alios obseruatum. Ea etiam de causa Ouidius in Metamorph. Medeę falcem æneam tribuit. Idem in Fastis, æris tinnitu inferorum vmbras in sacris Lemuralibus ab anu expelli dixit. Alexander quoq; Aphrodisæus in suis Problematibus, ait æris sono malos spiritus depelli, eamq; ob rem in lunæ defectu æra moueri, fuisse in more positum. Liuius etiam, Ouidius, Lucanus, atque alii deficiente, & quasi laborante luna æra concuti, scriptum reliquere, quod & à Cœlio Rhodigino in libris Antiquarum lectionum fuit adnotatum. Est etiam à Polydoro Virgilio in libris de inuentoribus rerum litteris mandatũ, Tintinnabulorum, siue Campanarum sono demo-

Fastor.lib.v.

lib.XIX.c.X.

lib.VI.c.12.

nes fugari: ideo cum ventorum, aut grandinis iniuriam timent Christiani (ab his enim dæmonum opera vineis, arboribus, frugibusque calamitas inuehitur) campanas pulsari iubent. Sane Diuus Augustinus à malis spiritibus dæmonibusque tempestates cieri affirmat. Cur autem campanarum tinnitu dæmones terreantur, longiusque fugentur, haudquaquam est in obscuro positum. sunt enim campanæ diuino cultui sacratæ, & sacerdotis benedictione augustæ religiosæque. Quinetiam cum benedictione ac religione, recentes quasi lustrica die, nomina accipere solent. Cum essem Fammochustæ, vidi in Diui Nicolai templo campanas duas non vulgaris magnitudinis, quas quidam Episcopus, nomine Gulielmus, faciundas curauit, & à nomine suo *Gulielminas* appellari voluit; sic enim litteris in ambabus testatum reliquit. Campanæ sono DEO Opt. Max. honorem exhiberi, & orationes quasi in altum precesque sustolli, efferrique Christiani opinantur. memini quoque me aliquando legere in Glossa, quam ordinariã theologi vocant, ad Hymnos Dauidis, in parentalibus pulsari campanam, vt preces, quæ pro mortuis funduntur ad Deũ, cam-

panæ

panæ ſono, tanquam flatu quodam deue- CAP. XIV.
hantur,& quaſi manu ducantur.

Illud non eſt omittendum, quod ad ea, quæ de tempeſtatibus ſuprà dicebamus, pertinet, Philoſophos, qui ſæpe à Chriſtiana fide ad naturæ rationes diuertunt, exiſtimare, campanarum ſono tempeſtatum, ventorum, grandinumque depelli iniuriam, quod tinnitus ille æris aërem maxime diuerberet, ſcindat, & confringat; quod apertum ſit eo, quod vſuuenit apibus, cum facto examine, auolare cœperint; quandoquidem non magno æris tinnitu ſubſidere coguntur, aëre nimirum diſciſſo, diſtractoque, & volatū ægre recipiente. Quanquam exiſtimabit fortaſſe aliquis, id apibus, moto aëre, vſuuenire, quod tinnitu alliciantur. quod an verum ſit, aliis diiudicādum relinquo.

Paulus Grillandus non infimæ claſſis Iurecōſultus, in libro de Strigibus ſiue Lamiis hiſtoriā refert plane admiratione dignam. Ait enim mulierem quandam, quæ, dæmone deuehente, in ludos illos nocturnos Dianæ, ſiue Herodiadis, profecta, appetente iam luce, domum reuertebatur, in agro repente fuiſſe à dæmone nudam derelictam, quod antelucanus campanæ tin-

nitus esset ab illo exauditus. eam vero mulierem ab homine quodam fuisse repertam domumque in suam perductam, id sibi verè contigisse, affirmare ausam. Quanquam credere par est itum illũ & reditũ ad Dianę vel Herodiadis ludos, dæmonis esse illusiones, qui somno sopitis mulierculis, in earum mentes illabatur, & ea omnia secundum quietem ipsis appingat, quæ mox à somno, in quo demersæ iacebant, excitatis fuisse vera videantur. Sed de Strigibus siue Lamiis an verè in ludos proficiscãtur, & in varias feras mutentur, consulas Ioannis Wieri Grauiani libros de Præstigiis Dæmonum.

TINTINNABVLIS, TVRcarum, & Græcorum templa carere. De Symandro & Agiosydiro.

CAP. XV.

CVM æris vim non modicam existere antiqui opinarentur, ęreorumque tintinnabulorum vsus sit longe vtilissimus, cum ad ciues statim quamuis procul per vrbem dissitos, in vnum congregandos

gandos, tum ad singulas diei, noctisque horas indicandas: mirum fortasse alicui videbitur cur Turcarum,& Græcorũ templa his careant. Sane Turcæ iuxta templa, quemadmodum & nos consueuimus, altas turres multilateras construunt; quarũ fastigia in pyramides exeunt ligneas, vt in pluribus, plumbeis laminis contectas, ad imbrium vim arcendã: vt si procul spectes, turres campanarias Christianorum esse credas; & his vrbes exornari affirmes. Nõ longe à pyramidis initio ita constructæ sunt, vt circũire quis facile possit. huc scala cochlide, quemadmodum Rom. in Traiani columnam (habent hæ turres & cum hac non paruam similitudinem: cum non latæ sed succinctę sint, & tenues, vt mirum sit cur non à ventis aliquando deiiciantur) ascenditur. Pyramide nonnullas carere vidimus, vt Rhodo,& Coo insula. Ostiola in scalę summitate, quibus egressus est, in circulare podium omnia in orientem solem spectare obseruauimus. Ex his turribus podiisque sacerdotes statis diei, & noctis horis, omnipotentis Dei nomen voce quasi Stentoria inclamant, hominesque ad templa, vt nos campanis solemus, conuocant.

CAP. XV.

Græci verò campanaru' i loco SYMANDRVM habent, & AGIOSYDIRVM. *Symandrum* Græca etymologia à conuocandis hominibus, ſeu potius coadunandis, appellant: *Agioſydirum*, quod ſacrum ſit ferrum illud, de quo infra dicturi ſumus. *Symandri* vſum inde mihi ſacerdotes nonnulli Fammochuſtani inuectum in eccleſias dixerunt, quòd Noha in arca inſtrumentũ non abſimile ad conuocanda bruta vſurpauerit. Verum id ſit nec ne, prorſus ignoro. Si coniecturas ſequi detur, exiſtimauerim factum eſſe, vt Græci *Symãdro* & *Agioſydiro* vterentur, quia ab initio conſtructis monachorum ſacerdotumq; cœnobiis, Ethniciſque Principibus Græciæ imperium obtinentibus, æreis tintinnabulis, quod eorum ſonus & nimiæ ſecuritatis, & auctoritatis indiciũ eſſet, abſtinuiſſe, & *Symandri* vſum excogitaſſe, quem ſuccedentia Chriſtianorum Principum tempora non excuſſerunt. quandoquidem ex cõſuetudine voluptatem conciliari ſcimus, & Græci non facile à maiorum traditionibus, maioribuſque recedunt. Quamobrẽ campanis nouiſſimè in multa Græcorum templa inuectis (de templis, quæ in orbe Chriſtiano ſunt, loquor, nam reliqua campanis


Scrib. ergo potius *Hagioſiderum*.

panis Turcæ carere iubent) & *Symandris* locus eſt. CAP. XV.


Symandrum autem eſſe ſcias ligneam tabulam latitudine digitorum plus minus quinque, craſſitudine ſeſquidigiti, longitudine fere pedum quatuordecim. non è quolibet ligno fit, ſed è præduro, & quantum lignea materia patitur, ſonoro. Capita foramina habent nonnulla nõ magna admodum, ſed pennæ anſerinæ, calamove ſcriptorio peruia. In medio tenuem funiculum continet. Qui populum ad templũ eſt conuocaturus, & Campanarii (vt ita cum vulgo dicam) nocturnis & anteluca- nis horis mũnus obiturus, ante fores templi, vel edito loco tabulam prænotatam malleis duobus ligneis pulſat, non ſine aliqua ratione muſica, atque interim in gyrum ſenſim voluitur, qua re fit vt grauior cũ nõ ingrata raucedine ſonus emittatur. Tabula non qua latior, ſed qua arctior eſt, quaſi libræ ſcapus, in ſiniſtro Campanarii, & pulſantis humero quieſcit; ac ne pulſando dilabatur, funiculo prædicto mordicus apprehenſo retinetur; manibus enim non licet, tum quod, ea apprehenſa, ſono non parum decedit; tum quia vtraque manus malleo impeditur. Ambabus .n. manibus

pulſatur hinc inde, vt nunc quædam frequentamenta, nunc quaſdam quaſi pauſas audias.

Agioſydirum hac forma vidimus: Ferrea erat lamina quatuor digitorum latitudine, ſexdecim vero longitudine, funiculo in medio librata. hæc ferreo malleolo ternis interpolatis vicibus ab homine pulſari ſolet, qui ſacerdotē euchariſtiam ad ægrotos lectoque decumbentes deferentem ſolet præcedere, vt inter tranſeundum quiſque rei admoneatur. Sed iam Campanarium cum Symandro appingamus vtcunque.



Eſt & *Agioſydiro* locus hîc tribuendus; vt hi quibus Græcorũ regiones videre non contigit (vtinã & mihi id contigiſſet, non enim tantam rei domeſticæ, ſcriptorum, & libertatis iacturam paſſus eſſem) quod à me dictum eſt de hoc inſtrumento, facilius percipiant, & Græcorum mores cognoſcant.



DE TVRRIBVS QVAE TINTINnabulis dicantur.

CAP. XVI.

MAGNI refert quo Campanæ loco ſuſpendãtur, tinnitumque edant. Si in planitie, cognitum eſt longius earum ſonum peruadere, quàm ſi in montibus pendeant. Si verò in valle, longius quàm in aperta planitie, quod ſonus non in orbem, ſed in longum progrediatur. ſiquidem apertum ſatis eſt, id aëri voce, vel ſono diuerberato, vſuuenire, quod aquis ſtagnantibus, ſi in eas lapis, vel quid aliud ſimile proiiciatur. orbes enim initio paruos, mox magnos, demum maximos, & qui quam longiſſimè progrediantur, explicari animaduertimus, longius verò produci ſi in longum, quàm ſi in orbem aquæ ſtagnauerint, ac conſtiterint. De voce autem & ſono, ſitnt corpus nec ne, hic non habeo dicere, quod in Annotationibus in Aulum Gellium ea de re ſatis pertractauerim. Eſt etiam in ſoni progreſſu diſcriminis non nihil, ſi hic in nemora, & loca frutici-

A. Gell. l.v.c.xv.

bus

bus condenſa, aliubi in nuda ſcopulisq; aut alia re duriora, vel denſa frangatur, ac quaſi redundet; ſi in obiecta ædificia, obſtructaq; loca vrbis incidat. Vitruuius auctor eſt, olim in Theatrorum gradibus vaſa quædam ampliora conſueuiſſe locari, vt voces in ea incidentes, refractu, & quaſi repercuſſu augerentur. Quæ res facit vt credam contectis turribus campanariis campanas longius perſonare quàm in apertis. ſiquidem ſonus non in altum atq; in immenſum ſpargitur (faciliùs autem in altiores partes quam in humiliores proſilit, quia ibi tenuior exiſtit aër, à vaporibusque & terræ aquarumq; ſuffitu defęcatior, quamobrem faciliùs permouetur, ac ſcinditur) non in immenſum inquam ſpargitur, ſed in inferiores partes propellitur. Teguntur verò turres huiuſmodi non vt fit in priuatis ædibus, ſed vacuis quibusdam pyramidibus, & metis latericiis, aut marmoreis conſtructis & quaſi ſuperimpoſitis; in quas propulſus ſonus augetur & tanquam è latiſſimo tintinnabulo non parum adauctus proſilit deorsũ. Quod de aëris tenuitate diximus, nos admonet, vt exiſtimemus, tempeſtates aërisq; varias conſtitutiones in ſoni magnitudine, vel paruitate CAP. XVI.

aliqua habere momenta ſcilicet, vt Virgilii verbis non ſine philoſophica ratione prolatis vtamur,

——— cum Iupiter humidus auſtris
Denſat, erant quæ rara modo, & quæ denſa, relaxat.

Ventorum quoque vis non modicum ad auertendum alióq; rapiendum ſonum, aut ad longiùs prouehendum conducit, vt omnino eſt vnicuiq; apertum.

Illud hic minimè ſilentio inuoluendum eſt, non parum ſtudii atq; induſtriæ Architectos in huiuſmodi turribus conſtruendis, atq; exornandis ponere conſueuiſſe. Hinc vt alias non paucas nobiliorum vrbium turres omittam, viſitur Florentiæ ad Diuæ Reparatæ turris campanaria numeris omnib. abſoluta, & pulcherrimis ſculpturis, quæ tranſeuntes remorentur, exornata. Nonnulli anxia & à diſcrimine non modicum abhorrente cura intantum luſerunt, & laſciuire ad captandam vulgi auram voluerunt, vt turres non ad perpendiculum, vt fit, ſed maximè proclinatas, ruinam minitantes, & iam iam caſuras conſtruxerint. E quibus vnam conſpexi Piſis marmoream, teretem, columniſq; clauicularum in morem circumplexam, in quam cum

cum aſcenderis, mirum in modum ti- Cap. XVII.
more afficiaris, ne illa prolabatur, teq́; opprimat ruinâ: vt nunc Aſinellorum turrim Bononiæ non ſolùm hoc nomine, ſed etiam proceritatis ratione viſendam omittamus. quanquam hæc non in eum vſum, in quem Piſana illa cõſtructa eſt. Sed ſunt nonnulli, qui exiſtiment, turres huiuſmodi non eo, quo nunc cernuntur, habitu fuiſſe ædificatas, ſed terræmotuum iniuriâ aliquando nutaſſe, & à perpendiculi ſtatu eſſe non parũ dimotas, & inclinatas. Quos tamen mendacii arguunt feneſtrarum, oſtiorumq́ue limina, & ea foramina, quibus tigilla tabulatorum, dum conſtruerentur, quieſcebant, & ſuſtinebantur: plana enim ſunt, non deuexa, ſed ad libellã conſiſtunt.

TINTINNABVLORVM, SIVE Campanarum tinnitu hodie è templorum turribus quibuſdam in vrbibus muſicos concentus magna cum voluptate exprimi.

CAP. XVII.

ARTES ſingulas in dies magis magiſq́; excoli, & quadã quaſi alluuione adaugeri ſatis eſt notum; quamobrem haud-

quaquam admirari conuenit, ſi id in campanis conficiendis pulſandiſq; vſuuenerit. Vidimus olim Bononiæ in Æde Epiſcopali, antiqua tria tintinnabula argentea, ea arte facta, vt cum à ſacerdotibus muſices nõ ignaris ad ſonum edendum mouerentur, muſicos concẽtus emitterent. Hodie quoque apud Menapios, Sicambros, & alias Chriſtianas nationes tintinnabula maiora in templorum turribus viſuntur (quod primum ab Oberto Giſanio Burenſi audiui, & mox in libris Hieronymi Cardani, de varietate rerum, adnotatum legi) à muſices non ignaris efformata, delecta, ſuſpenſaq;, & à muſicis pulſata, è quibus tanquã è naulijs, quæ *organa* vulgo dicimus, muſici concentus, & harmonici eduntur, vt maxime huiuſmodi rei inuentori nationes illæ debeant, ſiquidem non modo in eccleſiis, ſed domi, in ſtratis, paſſimque ea quæ à muſicis organis proficiſci ſolet, voluptate fruũtur. Ideo cùm campanæ pulſantur, non ſolum in domibus, ſed etiam in triuiis egregiè, & magna cum hilaritate ſaltantes homines, & tripudiantes conſpicias: quis nomos, & cuius muſici cantio pulſetur, facilè agnoſcas; vt mirũ ſit, cur ea ars & ad noſtrates, vt in multis aliis factũ eſt, non peruenerit.

Potiſſimũ Antuerpiæ atq; Inſulis Flãdrorũ ac Tongris tinnitus muſicus cũm audientium ſtupore auditur.

DE

DE MINORVM TINTINNA- Cap.XIIX. *bulorum vſu apud Principes viros, & magiſtratus ciuitatum.*

Cap. XVIII.

VT nõ ſolum ætatis noſtræ, ſed poſteritatis quoque ratio habeatur (vtinam & antiquis ſcriptoribus labor huiuſmodi non fuiſſet ingratus, nam rerum multarũ præſertim veſtium inſtrumentorumq; cognitione minimè careremus, & in magna aliquarum rerum ignoratione non verſaremur) ſciendũ eſt, principes viros, pręſertim Cardinales, atq; Epiſcopos, cum domi, atq; in cubilibus degũt, vt linguæ & lateribus parcant, tintinnabulis minoribus famulos accerſire conſueuiſſe; quamobrem & cum huiuſmodi tintinnabulis aliquos in pictura ad viuũ expreſſos nonnunquam vidimus. Magiſtratus præterea, & publicam perſonam gerentes, & in cauſarum cognitione ſedentes, tintinnabulis litigãtes accerſunt in auditorium, & iis ſilentium imponunt. Mouet hoc manu tenens qui *Præpoſitus* vocatur, quod vni

eidemque homini non ſemper contigit. Spectauimus hoc ſæpe Florentiæ, cum in iuniori ætate legati munere fungeremur.

DE TINTINNABVLIS *quæ ædium foribus alligantur.*

CAP. XIX.

ILlud quoque ratione prædicta dignum adnotatione existimaui, quod in multis Italiæ locis, præſertim Venetiis ſpectauimus, ædium foribus introrſum tintinnabula appendi cõſueuiſſe, vt cum aliquis ingreditur, egrediturq; ſonitum edant, & eos qui domi ſunt & ab oſtio abſunt, egreſſus ingreſſusq; huius illiuſve admoneant, vt non ſolum furium, ſed & domeſticorum præſertim ſeruorũ fraudes eludantur. Vidimus quoque in eadẽ vrbe quendam hanc mouendorum tintinnabulorum rationem inſtituiſſe. Axi plura tintinnabula affixerat, illumq; ita forib. introrſum aptauerat, vt circũagi facile poſſet: mox funem addiderat, funique ſacculũ arena expletum adalligauerat, ea ratione, vt cum fores aperirentur, funis axem illum

tin-

tintinnabulis perſtrepentē circũuolueret. CAP. XIX.
Eſt & alius tintinnabulorum vſus in priuatorũ ædibus quę plura tabulata continent, vel quæ ampliores ſunt. Nam è ſuperioribus tabulatis ſuſpenduntur tintinnabula, quæ fune per ſcalas procedente, ac per fores trãſmiſſo ab his, qui ingredi voluerint, ſi fores occluſæ ſint, moueri ſolent. Monachorum etiam ſanctimonialiumq; in cœnobiis, cauædia, & andronitides non procul ab oſtio ſuſpenſa tintinnabula habent, quæ fune ab his, qui exterius fuerint, moueri poſſint, vt atriēſes facile aduocari poſſint.

Antiqui annulo ferreo, vel æneo, aut re non abſimili exterius affixa, vt hodie etiã fit, & pendula(*Coruum*, ſiue *Cornicem*, vt Iul. Pollux teſtatur, ne alios cōmemorē, appellabãt) vti cōſueuerunt, quam rem me apud Plaut. obſeruaſſe memini. Credere etiam par eſt, huiuſmodi annulos cōſueuiſſe appēdi introrſus eorum ciuium foribus, quibus priuata lege conceſſum erat, vt fores, oſtiis aperiendis, exterius atq; in viam explicarentur, qua de re apud Plutarchũ in Publicola, & apud Ariſtotelē in magnis Oeconomicis. Priſcorum ędes non abſimiles fores habuerunt, vnde apud Terentium non

ſemel legas, egrediente aliqua perſona ex ædibus, *fores obſtrepuiſſe*. antequam enim a-perirentur pulſabantur interius, vt qui ante fores in via conſtitiſſent, aut illac pertrã-ſirent, ſibi cauerent: quod à doctis viris ob-ſeruatum eſt. quanquã cardinibus æneis, qui aperiendis foribus ſtridebant, iuxta il-lud poëtę, *Cardo ſtridebat ahenus*, ſtrepitus il-le fortaſſe adſcribi poteſt; in qua re nõ ma-gnopere laboro.

M. Ant. Mureto in var. lib. I. c. XVII.

DE CAMPANARVM CONficiendarum & ſuſpendendarum arte, & qua ratione ſtatere non magno earum pondus deprehendi poſsit.

CAP. XX.

PROPOSITÆ tractationis ratio exigere videtur, vt aliquid de conflandorum Tintinnabulorum arte loquamur; quanquã ea vulgo cognita eſt, ac videre quiſque in officinis poteſt, Venetiis præſertim, quo pacto conficiantur. At ſi cui in officinas in-gredi non ſit integrum, is Vannocii Berin-gucii Senenſis, campanarum artificis e-gregii,

gregii *Pyrotechniam* conſulat: in illa enim CAP. XX.
& perſcriptum Italico ſermone & deli-
neatum reperiet, quicquid ad eam artẽ e-
diſcendam conducit; vſqueadeò, vt &
quo pacto campanæ in turribus conſtitu-
antur, ac moueantur, edoceat, optimeque
figuris delineatis commonſtret. Nos ta-
men eam rem hîc ſilentio parte aliqua mi-
nimè tranſmittamus.

Campanæ non ſolùm materiam, ſed &
formam plurimum ad ſoni magnitudinẽ,
& ſuauitatem conducere certò ſcimus. Si
humiliores latioreſque petaſi, ſeu galeri,
aut lebetis figura efformentur, ſonum non
admodum magnum & ingratũ auribus e-
dunt. Si vero longiores craſſioreſq; quam
artis ratio patitur, obtuſum nec latè diſſa-
nantem emittunt. Artis præſcripto campa-
næ altitudo duplici oris diametro conſtat,
aut paulo breuiore menſura. forma pyri
lõgioris effigiem æmulatur, atq; exprimit.
Antiquorum tintinnabula magis ad gale-
ri, quàm ad huiuſmodi pomi formam ac-
cedebãt, erantq; tenuiora, quamobrem &
rauca, & minus quam noſtra ſint ſonora.
Materia conſtat æris, ſtanni, plumbiq; mi-
ſtione ſecundùm varia opificum conſilia.
nam ſi grauem ſonum quæſiuerint, ſtanni

plumbique non parum æri admiſcent: ſi acutum, ſtanno, plumboque plus parcunt. Quanquã & amplitudo maior ad eam rem vim non paruam obtinet. Sæculis ſuperioribus, cum minus principum auaritia ſæuiret, & argentum multum admiſcebant opifices, vnde in quibuſdam argenti ſonus nonnihil exprimitur, vt in vna atq; altera templi Diui Bartholomæi apud Anglarẽſes meos: in quo vtinam mihi citò è ſeruitute redempto, DEO Opt. Maximo gratias agere detur. Sed iam tẽpus eſt vt receptui canam. Antequam tamen id facio, non eſt ignorandum ſtatere non magno maximarum campanarum pondus examinari, ac facile deprehendi. Qua arte hoc præſtari poſſit, apud Ioannem Buteonem Delphinatẽ perſpicies in ea pertractatione, quam *de ſtatere, & libra* ſuperioribus annis edidit. Locum enim indicaſſe, mihi arctius ſeruitute oppreſſo, ocioq; litterario, & libris carenti, ſatis eſſe videtur.

PERORATIO.

HABES, Generoſiſſime, atque Illuſtriſſime Domine, munus à Hieronymo Magio aſperrima duriſſimaque ſeruitute deiecto oppreſ-

oppreſſoque, non quidem quale amplitudini tuæ conueniat, ſed quod tenuitas mea in ergaſtulo inter domini ſemper minitantia verba, inter multiplices ac libero homine aliquando & baiulo indignos labores, inter conſeruorum ſtrepitus probraque præſtare potuit. Quamobrem tibi & eruditiſſimo viro IOANNI SAMBVCO, bibliothecæ Imperatoriæ Præfecto, ſi in eius aliquando manus, te ſoſpite, quod Deus faxit, in Chriſtianum orbem reuerſo, deſcendat, tibi inquam, illiq; haud quaquam mirum videbitur, ſi hîc ieiunus, ibi incultus ac claudicans, alibi ruſticus fortaſſe fuero. Eam ob rem abs te lectoribusque humanis, veniam me ſpero nullo negotio impetraturum, ſatis autem fuerit hoc meo opuſculo vtcunque ſtudium in te meum præ me ferre, & poſteritati teſtatum relinquere. Si autem tuæ benignitatis munere, vt amiſſam libertatem propediem adipiſcar, efficiatur, mihique apud Chriſtianos verſari aliquando concedatur, non ſolum hæc meliora, amplioraq;, ſed & alia in tuo nomine & MAXIMILIANI Imp. ſemper Auguſti apparebunt.

FINIS.

FRANCISCI SWEERTI F. Antverp.

NOTAE

in librum

HIERONYMI MAGII

de

TINTINNABVLIS.

CAP. I. Pag. 20.

L*Atè pertractauerit*] Ingentis certè memoriæ & lectionis MAGIVM, nullis adiutum libris, fuisse, hic liber, quem damus ostendit. Necessarium maximè est vitæ hominum *Memoria*, vnicus (teste Fabio) Eloquentiæ thesaurus. Miranda & vix credēda quæ de Cyro Persarum Rege tradunt Plinius & Solinus. Cæsarem verò scribere & legere simul, dictare & audire, (idem etiam, teste Spartiano, Hadrianus Imp. facere consueuit) solitum accepimus. Magnis his viris MAGIVS noster cur non annumerandus? qui ferreas gestans catenas sub iugo Turcico, animum ad scribendum appulit, omni librorum ope destitutus.

Pag. 21. *Matthia Coruino*] Fuit hic Hungariæ Rex, de quo multa apud Historiographos. Ioachimus Camerarius ita in peculiari libello: *Patrum nostrorum memoriâ Regem fuisse opt. atq; fortissimum.*

accepimus MATTHIAM HVNIADEM, *qui quũ Pannoniam solam teneret, formidabilis tamen & Asiæ & Europæ Impp. fuit. Idem mirifico ardore flagrauit bonarum litterarum atq; artium, quarum Professores magnis præmiis affecit, & libros vndique grandi pecuniâ conquiri iussit, quorum spectabilis copia ad Turcicam irruptionem vsq; durauit. Eum igitur hoc nequaquam fugit, vix esse aditum atque accessionem Veritati & Libertati in Regum atq; Princip p. domos. Itaq; quum haberet circum se non tam belli, quàm pacis artium peritos, solitum tamen traditur sæpe illum datâ operâ à comitatu in venationibus suo sese abducere, atque in solitariis casulis rusticorum, vel aliquo pago pernoctare, colligentem famam & rumores de Rege & administratione Reipub. Ita illum nihil ferè vitiorum, vel quibus ipse, vel quibus sui laborarent, neq; vlla peccata administrationis, fugisse.* Hæc ille. Consule Iouium, Franc. Rosinum, & Ioan. Alexandrum Brassicanum I. C. eruditum, Præfatione in D. Saluianum Massiliensem Episcopum. Quantus fuerit, testatur vel Epitaphiũ, quod hîc in gratiam lectoris damus:

CORVINI *breuis hæc vrna est: quem magna fatentur*
Facta fuisse Deum, fata fuisse hominem.

Pag. 21. *Petasum*] *Petasus* capitis tegmen, à πετάννυμι, id est, *extendo*, galero persimile, siue ipse galerus, seu pileus viatorius solem arcẽs. Plautus Prologo Amphitr:

Ego has habebo hic vsq; in petaso pinnulas,
Tum meo patri autem torulus inerit aureus
Sub petaso.——

Per tralationem dicitur *Petasus*, quod in galeri formam ædificiis superpositum, extensum & explicatũ est, in metæ formam se trahens. Vide Plinium lib.

XXXVI.

xxxvi. cap. xiii. Natur. hiſtor.

Pag 23. *Codones*] Sunt tintinnabula, & quos propriè *ſonalios* vocabimus phaleris equorum appēſos. Suidas, κώδων, παρὰ τὸ ἐν τῷ κινεῖν ᾄδειν. Hinc κωδωνεὼν, ἐν ᾧ οἱ κώδωνες, auctor idem Suidas. Vide interpretem Sophoclis in Aiace. *Tintinnabula* verò Latini à verbo *tintinnire* deriuāt. Nonius Marcellus: Tintinnire *dicitur ſonare, vnde & tintinnabula ſunt appellata.*

Nolæ etymologiam] Paulinus Epiſcopus Nolanus (olim *Sidicinum*, auctor Plinius lib. iii. cap. v.) D. Hieronymi æqualis, vir vitæ ſanctimonia ſpectabilis, primus in ſuam Eccleſiam Campanæ vſum inuexit: correxit vir ſanctiſſimus abuſum gentiliū ſacrorum, & ad pia munia tranſtulit, vt nimirum eius ſtrepitu exciri poſſent ſemotiùs habitantes ad conciones precationeſque. Atque hinc fortaſſe tenuit conſuetudo, vt Nolæ vocabulo cenſerentur tintinnabula ab hac Campaniæ Nolâ, cuius apud Polybium Liuiumque fit mentio.

Campanam quoque à Campania vrbe] Vbi primū vaſa illa fabricata fuêre, vide Walfred. Strabonem lib. v. de reb. Eccleſ. *Campanarum* meminit Beda lib. iv. Hiſtoriæ Anglicanæ. Ad tubas quas Deus Num. cap. 10. fieri iuſſerat multi *Campanarum* originem referunt, ibi: *Fac tibi duas tubas argenteas ductiles*, quarum vſus erat ad vocandum cœtum, ac dum caſtra mouebantur. Formam tubæ exprimit Iudaicus ſcriptor lib. iii. Antiquit. cap. xi. εὗρε δὲ καὶ βυκάνης τρόπον ἐξ ἀργυρίου ποιησάμενος. ἔστι δὲ τοιαύτη. μῆκος μὲν ἔχει πηχυαῖον ὀλίγῳ λεῖπον. στενὴ δ' ἐστὶ σύριγξ αὐλοῦ βραχὺ παχυτέρα. παρέχουσα δὲ εὖρος ἀρκοῦν ἐπὶ τῷ στόματι, πρὸς ὑποδοχὴν πνεύματος, εἰς κώδωνα τοῖς σάλπιγξι παραπλησίως τελοῦν. Ἀσώσρα καλεῖται κατὰ τὴν Ἑβραίων γλῶσσαν. γίνονται δὲ δύο. καὶ

τῇ μὲν ἑτέρᾳ, πρὸς παράκλησιν τῆς συλλογῆς ἐχρῶντο τοῦ πλήθους πρὸς τὰς ἐκκλησίας. τῇ μίαν μὲν ἀποσημαίνοντος ἔδει τὰς ἀρχὰς συνελθεῖν, σκεψομένας περὶ τῶν οἰκείων: ἀμφοτέραις δὲ συνῆγε τὸ πλῆθος. Id eſt, *Inuenit autem & buccinæ speciẽ ex argento factæ talem: Canna erat tibia paulo craſſior, longitudine paulò minùs cubitali, cuius os tantum patebat, quantum ad inflandũ ſufficeret; deſinebatq; in extremitatem campanulæ ſimilem, quemadmodum tuba.* Aſoſra *vocatur hoc genus apud Hebræos. Duas tales fecit, quarum vna plebs ad concionem vocabatur, altera Principes ad conſultandum de Repub. exciebãtur: vtriſq; verò clangentibus vniuerſus populus conuocabatur.* &c. Quo autem tempore cœptum fuerit *Cãpanis* vti in Eccleſia Catholica, incertum. Illud conſtat Anaſtaſii Monachi Perſæ Martyris ſæculo nõdum fuiſſe *Campanarum* & *Nolarum* vſum. Inuenio in VII Synod. Act. IV. ex lib. miraculorum S. Anaſtaſii Martyris, quòd cùm Cæſareæ ciuitati reliquiæ S. AnaſtasI appropinquarent, ciues omnes lętitia magna perfuſi ſurgentes ſubitò, lignaque ſacra pulſantes obuiam facti ſunt, in venerandæ Deiparæ virginis æde. Ecce ligna ſacra pulſabantur in ſupplicationibus.

P. 24. *Temeſa Campaniæ vrbe*] *Temeſam* antiquũ Cypri oppidum tradunt ſcriptores, vbi æris fodinarum locus oſtenditur. Lege Strabonem lib. V. & Eraſmũ in prouerb. *Temeſæus genius*. Eſt & *Temeſa* agri Brutii oppidum, æris fodinis olim nobilitatum, quod Auſonii condiderunt, & poſtea litteræ vnius mutatione *Tempſum* appellarunt. Plin. lib. III. cap. V. Ouid. XV. Metamorph. hinc *Temeſæa æra*: Ouid. lib. V. Faſtorum:

Rur-

Rurſus aquam tangit, Temeſeaq; concrepat æra,
Et rogat, vt tectis exeat vmbra ſuis.

Sanè crepitus fit ad finem ſacrificii, vt volens vmbra diſcedat: vnde ſunt abacta ſilentia. Nobilia ſunt & *Temeſæa æra* in ſuccurrendo laboranti Lunæ. Hadrianus Iunius Animaduerſ. lib. III. cap. XI.

Ibid. *Dodonæos lebetes*] *Dodona* vrbs in Chaonia, Epiri regione, iuxta quam inſigne nemus, vbi *Iouis Dodonæi* templum fuiſſe narratur, in quo oraculum omnium, quæ apud Græcos ſunt, vetuſtiſſimũ. Lege Herodotum lib. II. Philoxenum & Stephanum de vrbib. cum Euſtathio. Hinc *Iuppiter Dodonæus.* Item *Dodonæum æs*, cymbalum aut tintinnabulũ diu noctuque continuò crepitans. In homine dici conſueuit improbæ atque importunæ loquacitatis. Zenobius ἐν παροιμιῶν ἐπιτομῇ tradit in Dodona duas fuiſſe ſublimes columnas, in altera poſitam peluim æream, in altera penſile pueri ſimulacrum flagellum æreum manu tollentis. Quoties autem ventus flauerit, fieri, vt ſcutica impulſa crebrius lebetem feriat, isque percuſſus tinnitum reddat, ad multum etiã temporis reſonantem. Iuuenalis ad adagium alluſiſſe videtur, cùm ait:

Tot pariter pelues, tot tintinnabula credas
Pulſari.——

Muliebrem taxans garrulitatem. Item apud Auſonium:

Nec Dodonæi ceſſat tinnitus aheni.

Aliam huius adagii interpretationem adfert Suidas, quem conſulat lector.

P. 25. FRANCISCVM PETRARCHAM] Fuit Hetruſcus natione, vir doctiſſimus, Philoſophus, Rhetor & Poëta celeberrimus: litteras velut intermor-

tuas quasi ab inferis reuocauit. Multa opera tã Latina, quàm vernacula cõscripsit linguâ. Anno Christianæ salutis cIↄ. cccxLI. Id. April. solenniter Romæ in Capitolio, maxima tam Romanorum quam aduenarum procerum, aliorumq; adstantium frequentia, laureâ coronâ insignitus est, quod illi primò contigit

Romani post imperii linguaq; ruinam.

Moritur eodem sæculo cIↄ. cccLxxIV. xIx Iulii, ætatis suæ LxxIv. Visitur adhuc hodie eius Epitaphiũ in collibus Euganeis sub dio in sepulcro rubri marmoris, cui incisum:

Frigida Francisci *lapis hic tegit ossa* Petrarchæ.
Suscipe virgo parens animã, sate virgine parce,
Fessaq; iam terris cæli requiescat in arce.

Ad eius etiam tumulum CL. Vir IANVS LERNVTIVS nostri sæculi Poëtarum princeps, mihiq; amicissimus, ita lusit:

Dii tenuem tibi terram, & in vrna perpetuũ ver:
Ardoris nostri, magne Poëta, iaces.

Huius vitam satis eleganter descripsit Hieronymus Squarzaficus Alexandrinus, ad Petrum Contarenum.

CAP. II. & IV.

P. 26. & 32. *Sepulcro Porsenæ*] Plinius lib. xxxvI. c. xIII. Naturalis historiæ: *Namq; &* Italicum(de Labyrinthis loquitur) *dici conuenit, quem fecit sibi Porsena Rex Hetruriæ sepulcri caussâ, simul vt externorũ Regum vanitas quoq; ab Italis superaretur. Sed cùm excedat omnia fabulositas, vtemur ipsius M. Varronis in expositione eius verbis: Sepultus est, inquit, sub vrbe Clusio, in quo loco monumentũ reliquit lapide quadrato: sin-*

to: singula latera pedum lata tricenûm, alta quinquagenûm: inq; basi quadrata intus labyrinthũ inextricabile, quo si quis improperet sine glomere lini, exitum inuenire nequeat. Supra id quadratum pyramides stant quinque, IV. in angulis, in medio vna; in imo latæ pedum septuagenûm quinûm, altæ centum quinquagenûm: ita fastigiatæ, vt in summo orbis æneus & petasus vnus omnibus sit impositus, ex quo pendeant excepta catenis tintinnabula, quæ vento agitata, longè sonitus referant, vt Dodonæ olim factum. Supra quem orbem IV. pyramides insuper singulæ extant altæ pedum centenum. Supra quas vno solo quinque pyramides, quarum altitudinem Varronem puduit adiicere &c.

P. 26. *Polydorum Virgilium*] libro de Inuentoribus rerum VI. cap. XII. hæc de tintinnabulis: *Quod Tintinnabulorum sono populus inuitatur vocaturq; ad sacra audienda statis diei horis, Sabiniani qui Gregorio successit, hoc decretum est. Aliud inde Ioannis* XXII. *Rom. Pontif. præscriptum manauit ad posteros: is enim instituit, vt ter in singulos dies, tintinnabula ad vesperũ pulsarentur, actum vnusquisq; ter salutationem angelicam D. Virgini sacram recitaret. Institutum ita mãsit, vt hodie vbiq; gentium sit in vsu, atq; audito tintinnabuli sono, cuncti confestim genua flectant atque orent.* Hactenus ille. Lege & Martinum Polonum in Sabiniano Pontif.

CAP. III.

P. 30. *Thermæ Diocletianæ*] Harũ reliquias adhuc hodie nõ absq; admiratione cõspicimus. Incredibile quanta mole & sumptu constructæ. Præter *Agrippinas, Neronianas, Vespasiani & Titi*, celebrãtur *Domitianæ, Alexandrinæ, Seuerianæ* & *Constantinianæ*.

M. Agrippa vt populo placeret, CLXX balnea ſeu lacus in prouinciarum formam, Romæ gratuita præbuit. Vide Ammianum Marcellinum, Alexandrum ab Alexandro lib. IIII. cap. XX. Georgium Fabriciũ in Roma ſua, Ioannem Roſinum lib. I. Romanarũ Antiq. Nicolaum Sipontinum. Omnium diligentiſſimè noſtra ætate de Thermis ſcripſit Andreas Baccius Elxidianus Med. libr. VII. eorum quos de Thermis edidit. Huic adiunge Belgī ocellũ IVSTVM LIPSIVM lib II. De magnitudine Romana.

Pag. 31. *Ex Strabone*] lib. XIV. vſos veteres nola ad venditionem piſcium ſignificandam patet. κιθαρῳδοῦ γὰρ ἐπιδεικνυμένου, τέως μὲν ἀκροᾶσθαι πάντας, ὡς δὲ ὁ κώδων ὁ κατὰ τὴν ὀψοπωλίαν ἐψόφησε, καταλιπόντας ἀπελθεῖν ἐπὶ τὸ ὄψον. Id eſt, *Cùm Citharœdus quidam artem ſuam publicè oſtentaret, tantisper ab omnibus fuiſſe auditum, dum tintinnabulum ſignum venditionis piſcium daret: eo audito vniuerſos ad piſcium negotiationem diſceſſiſſe.* Item è Plutarcho lib. IIII. Sympoſ. cap. IIII. ἀλλά τις περὶ τὴν ἰχθυοπωλίαν ἀναδιδόντας, καὶ τοῦ κώδωνος ὀξέως ἀκούοντας. Id eſt, *Sed qui ſubinde in foro piſcario verſantur, & tintinnabulum celeriter exaudiunt.* Simile illud apud eundem Strabonem lib. XV. Geograph. apud Indos fuiſſe ædiles, qui fructus maturos ſigno dato vendi curarent. Notauit hoc poſt Cælium Rhodiginum lib. XIX. cap. X. Antiq. Lect. Ioannes Langius in Medicinalibus epiſtolis, Iſaacus Caſaubonus Galliæ lumen, ad librum XIIII. Strabonis, & Medicorũ princeps Hieronymus Mercurialis lib. I. Variarum lect. cap. XXV. Adhuc hodie Antuerpiæ eſt in vſu venditiones *tintinnabuli* ſigno indicare plateatim.

CAP. V.

Pag. 33. *Familiam tintinnabuli ſono excitari*] Ita

Lucianus Tractatu de iis qui mercede conducti, in diuitum familiis viuunt: ἕωθέν τε ὑπὸ κώδωνι ἐξαναστὰς ἀποσεισάμενος τοῦ ὕπνου τὸ ἥδιστον συμπεριθεὶς ἄνω καὶ κάτω, ἔτι τὸ χθιζὸν πηλὸν ἔχων ἐπὶ τοῖν σκελοῖν. Id eſt, *Deinde manè ad tintinnabulum expergefactus, diſcuſſâ ab oculis dulciſſima ſomni parte, vna ſurſum ac deorſum circuncurſas, heſterno luto etiamdum tibiis adhærente.* &c.

CAP. VII.

Pag. 37. *Syriæ Deæ ſacerdotem*] Plutarchus in vita M. Craſſi de prodigiis agens, quæ ipſi acciderũt in Syria, hāc deſcribit. Mentio item huius apud Tertullianum in Apolog. M. T. Ciceronem, III. de Nat. deorũ, Euſebium de præparatione Euangelica cap. II. alioſque, præcipuè autem apud Lucianum, quem lector audi: πολλοὶ δὲ ἀπικνεόμενοι χρυσόν τε καὶ ἄργυρον, οἱ δὲ χαλκὸν κομίζουσι, εἶτ' ἀφέντες ἐκείνου πρόσθε κείμενα, ἀπίασι, λέγοντες τὰ οὐνόματα. παρεστεὼς δὲ ἄλλος, ἄνω ἀγγέλλει. ὁ δὲ δεξάμενος τοὔνομα, εὐχωλὴν ἐς ἕκαστον ποιέεται· ἅμα δὲ εὐχόμενος κροτέει ποίημα χάλκεον, τὸ ἀείδει μέγα καὶ τρηχύ. &c. Id eſt, *Multi autem venientes, aurumq; & argentum, quidam etiam æs afferunt, deinde ante illum appoſitis atq; ibi relictis illis abeunt, vnuſquiſq; nomen ſuum edentes. Aſtans autem alius quidam, ſurſum renunciat. Ille igitur accepto nomine, preces pro vnoquoq; facit, precãdo autem pariter & æreum quoddam tintinnabulum pulſat, quod motum, grauiter atq; aſperè ſonat.*, &c.

Pag. 38. *D. Antonij fratres*] Maiores noſtri memorias Sanctorum inuiſentes, libenter pro ſe conferebant paruam Sancti imaginem, ſic etiam pro pecoribus ſuis, collo alligandam nolam ex memoria S. Antonii conferebant, proteſtantes hac ratione, quod meritis S. Confeſſoris petebant, & confide-

bant animalia ſua præſeruatum iri à peſte. Quod indicat Ambroſius Nouidius à Romanis obſeruari. Agens enim de porco grunniente, qui S. Antonio appingitur, ſubdit:

— collo mea concutit æra,
Noſcere quo poſſis ne noceatur, ait:
Æſq; meum geſtat, baculo quod cernis in iſto,
Quodq; rogans æger, collaq; multa gerunt.

CAP. VIII.

Pag. 39. *Ouium, caprarum, ſuum.*] Iuſtinianus Imp. in legib. ruſticis Tit. ſecũdo, §. 1. interprete doctiſſ. Franciſco Balduino, ita ſanxit: *Si quis crepitaculum ſiue tintinnabulum bouis aut ouis aut alterius cuiuſuis animalis ſuſtulerit, conuictus flagellator vt fur. Et ſi animal deperditum fuerit, & id damnum ſarcito, quod eius crepitaculum ſuſtulit.* Sidonius Apollinaris lib. 11. epiſtol. 11. ad Domitium *greges tintinnabulatos* vocat, vel *tinnibulatos*, vt eſt in vett. libris. Fortunat. lib. 11. de S. Medardo:

Tintinnum rapit alter inops, magis improbus ille,
Qui iumentorum colla tenere ſolet.

Meminit & lex Burgundiorum tit. 4. §. 5. Item Gothorum lib. 7. tit. 2. 11. Antiq. denique Boiariorum cap. 8. tit. 11. § 1.

Pag. 40. *Delphinos*] Plinius Nat. hiſtoriæ lib. xi. cap. xxxvii. in hunc modum: *Delphinum audire manifeſtum eſt. Nam & cantu mulcetur & capitur attonitus ſono. Quonam modo audiat, &c.* Balenas & monſtra marina tintinnabulis à nauibus arceri mihi auctor Cornelius Kilianus Dufflæus noſter in poëmat. ſuis:

Naui-

Nauita Erythræum pauidus qui nauigat æquor,
In prora & puppis summo resonantia pendet
Tintinnabula: eo sonitu prægrandia Cete,
Balenas & monstra marina à nauibus arcet.

Ibid. *Muliones*] Assiduo vsu compertum est mulos valde delectari tintinnabulorum sonitu: quapropter muliones multiiuga tintinnabula ad illorum colla suspendere solent, quo facilius sarcinarum labores perferant, vt Ouidius alibi canit. De equis simile tradit Suidas in κωδωνίσαι, quos tintinnabulis pulsandis veteres explorabant; & num tumultu pugnæ percellerentur, quod hodie tympano factitamus vel bombardis. Vide eundem in dict. διακωδωνίσαι.

Elephanti] lege 1. Cent. Epistolar. IVSTI LIPSI Epistola L. ad Ianum Hautenum, illic certe mira recenset: miriora quæ Augerius Busbequius Belgicæ nostræ sidus se vidisse scribit Epistola 1. legationis Turcicæ. hæc eius verba: *Vidi etiam elephantem plane iuuenem mirè lepidum, vt qui saltaret & pila luderet. hic credo vix temperabis risu. elephantem, inquies, ludentem pilâ & saltantem? cum saltare iuberetur, mouebat ita alternis pedes toto corpore coruscans vt non obscurè tripudiare velle videretur. pila vero palmaria ita ludebat, vt pilam in se coniectam proboscide scitè exciperet, longeq; repercuteret, quod nos palmâ facimus &c.*

CAP. IX.

Pag. 42. *Hebræi tintinnabula*] Ita Origenes super Exod. *Habeat etiam Pontifex per indumenti circuitum tintinnabula, vt egrediens Sancta det sonitum, & non intret cum silentio. Et hæc tintinnabula quæ semper*

sonare debent, in extremo vestimento sunt posita, idcirco credo, vt de extremis temporibus & fine mundi nunquã sileas, sed inde semper sones, inde disputes & loquaris, secundum eum qui dixit: Memor esto nouissimorũ tuorum, & non peccabis. Ad hunc ergo modum, homo noster interior Deo pontifex adornetur, vt introire possit, non solum in sancta sed in sancta sanctorum &c. Flauius Iosephus diligentissimus rerum Iudaicarũ scriptor, lib. III. cap. VIII. Antiq. ex versione Sigismundi Gelenii, hæc de Tintinnabulis: *Pontifex verò vtitur quidem etiam hoc, nihil eorum quæ enumerauimus omittens, sed superinduitur hyacinthinam tunicã talarem quam nostrates Methir nominant, astringitque eam Zona coloribus supradictæ simili, nisi quod auro intertexta: ceterum ima vestis ornabatur limbo effigie malorum punicorum distincto, a quo tintinnabula aurea sic dependebant, vt medium esset quodq; malum punicum inter duo tintinnabula situm, & tintinnabulum inter duo mala punica.* &c. Adscribo & Græca verba, si quis ea potius desiderabit: ὁ δὲ ἀρχιερεὺς, κοσμεῖται μὲν καὶ ταύτῃ παραλιπὼν οὐδὲν τῶν προειρημένων. ἐπενδυσάμενος δὲ ἐξ ὑακίνθου πεποιημένον χιτῶνα, ποδήρης δ' ἐστὶ καὶ οὗτος, Μεθεὶρ καλεῖται κατὰ τὴν ἡμετέραν γλῶσσαν. ζώνῃ περισφίγγεται βάμμασιν οἷς καὶ προέτερον ἤνθει διαπεποικιλμένῃ χρυσοῦ συνυφασμένου. κατὰ πέζαν δ' αὐτῷ προσερραμμένοι θύσανοι ῥοῶν τρόπον ἐκ βαφῆς μεμιμημένοι ἀπήρτηντο, καὶ κώδωνες χρύσεοι κατὰ πολλὴν ἐπιτήδευσιν τῆς εὐπρεπείας, ὥστε μέσον ἀπολαμβάνεσθαι δυοῖν τε κωδώνοιν ῥοΐσκον καὶ ῥοῶν κωδώνιον.

CAP. X.

Pag. 45. *Morem hunc tintinnabulo*] Excubitores nocturnis Vigiliis Nolam antiquitus pulsabant, ad cuius pulsum respondendum erat illico, vt Suidas

das refert dict. κωδωνοφορῶν, ex Ariſtoph. interprete ἐν ὄρνισι. ἐρχόμενοι, inquit, ἐπὶ τοὺς φύλακας κώδωνας εἶχον, καὶ τούτους ἐψόφουν περιάζοντες τὸ καθεύδοντα, καὶ ἵνα οἱ φυλάσσοντες ἀντιφθέγγωνται. Qui mos etiamnum apud Iccium portũ (*Caletum* hodie vocant) aliiſque locis præſidiariis obſeruatur. Similiter ſi qua vis ingrueret, Campani æris tinnitu indiciũ eius rei dabatur olim, quemadmodum & hodie per vniuerſam ferè Belgicam noſtram hoc ciuili bello. vnde Thebaidos VI. Papinius Statius eleganter cecinit:

— procul auxiliantia gentes
Aera crepant. —

P. 46. *Funeri autem adhiberi*] Olim ſiquis è vita exceſſiſſet, æra campanæve pulſabantur, vt peruetus Theocriti ſcholiaſtes annotat (qui mos in hunc vſque diem apud nos perdurat) quod is ſonus credebatur eſſe καθαρὸς καὶ ἀπελαστικὸς τῶν μιασμάτων, hoc eſt, *auertere ſpectra & dæmonum ludibria*. Atque hinc receptum arbitror, cur tonante cælo campanarũ boatu perſtrepatur. Non ſum tamen neſcius ſubeſſe & aliam cauſſam, nimirum vt illarum comploſu aërem longè lateq; diuerberante, vis tonitrui infringatur. Apollodorus in libro, quem De Diis inſcripſit, Hierophantam, hoc eſt, Proſerpinæ ſacerdoté, tintinnabulum ſiue nolam, ἠχεῖον nominat, pulſare Athenis conſueuiſſe ſcribit. Pulſantur etiam Campanæ, teſte Alberto Pighio ad finem lib. VII. in exequiis & iuſtis defunctorum, vt excitentur & præmoneãtur nedum neceſſarii ſed & ceteri ciues ad præſtanda officia defunctis, eorum opem implorantibus, ac ſi dicerent: *Miseremini mei, ſaltem vos amici mei.*

Ibid. *Flamini Diali*] Vide Agellium lib. X. cap. XV. qui ceremonias Flamini Diali impoſitas, ſatis copiosè recenſet.

CAP. XI.

Pag. 48. *Apud Plautum legendum*] In Pſeudolo:

— verum extra portam Metiam currendum eſt prius.

CA. *Quid eo?* PS. *lanios inde accerſam duos cum tintinnabulis.*

Turnebus lib. XXIII. cap. XI. Romanos, cùm ſupplicium de ſeruis ſumebāt, tintinnabula ad plebē conuocandam, vel arcēdam, ne contaminaretur, adhibuiſſe coniicit ex dicto Plauti loco. Etſi incomparabilis ille Scaliger *tintinnabulum* ibi vehiculorum genus eſſe putet.

CAP. XIII.

Pag. 52. *Carrocium voce Itala*] Huius deſcriptionem accuratam nobis dedit Antonius Campus pictor & Eques Cremonenſis in deſcriptione vrbis Cremonæ vernaculâ linguâ, quam Latinè ita vertit Philippus Rubenius amicus mihi ſingularis, in quo quid laudes potiſſimum neſcias, ingeniumne omni honeſta & liberali doctrina cultum & perpolitum, cum acri & limato iudicio coniunctum, an mores ſuauiſſimos prorſuſq; ad humanitatem factos, quibus ſe ſummis pariter & imis commendare ſolet: *Anno Chriſti* M. LXXXI. *Cremonenſes* CARROCIVM *inſtituerunt, quodq; eius vſum vna cum libertate gratia Bertæ Auguſtæ ab Henrico Imp. impetraſſent*, BERTAM *aut* BERTACCIOLAM *dixerunt*. CARROCIVM *erat currus amplior his atque ſublimior qui communi in vſu. Inuenêre Longobardi, primiq; omnium, ſecundum aliquos, Mediolanenſes vſurparunt. Ornabatur id à quibuſdam panno rubro,*

ab aliis

ab aliis albo; à Cremonenſibus verò mixtim rubro & albo, denique pro colore, quo cuiuſque ciuitatis inſigne. Sed & ſeni boues, à quibus trahebatur, ſimili panno te-cti. In medio autem erat antenna cum vexillo ſiue la-baro, præter crucem rubram cetera albo, cuiuſmodi in ſupplicationibus hodieq; nonnullis in locis geſtantur: & ab eadem antenna dependuli funes, quos validi robuſtiq; iuuenes manibus attinebant, inq; eius ſummo campa-na appellata Nola. Nefas autem educere, niſi publico decreto, nec minus mille quingentis ad cuſtodiam eius militibus ſtrenuis & panoplia ac bipennibus egregiè munitis. Propè etiam Duces omnes ac militiæ præfe-cti; at ponè tibicines VIII. *multiq; ad rem diuinam ſa-cerdotes. Præcipua tamen currus huius cura dabatur viro virtute & peritiâ rei militaris inſigni, quóque loci ille ſtatueretur, eo tum ius dici, tum conſilium haberi de ſumma belli ſolebat. Eodem & ſauciis receptus atq; con-fugium, eisq; qui vel pugnando defeſſi, vel a multitudi-ne hoſtium premerentur.*

CAP. XIV.

Pag. 56. *Campanarum tinnitu dæmones*] Petrus Meſſias Hiſpalenſis lib. II. diuerſarum lectionum, cap. IX. hæc copiosè tractat, ad quem Lectorem re-mitto.

Pag. 58. *Ioannis Wieri Grauiani*] Potius P. Mar-tini Delrii Antverpiani amici optimi; qui hunc ſatis egregiè refutat in lib. Magicarum diſquiſitionum.

CAP. XV.

Pag. 59. *Voce quaſi Stentorea*] Prouerbialis hy-perbole; *Stentore clamoſior*. Sumptum à fabula Sten-toris, cuius meminit Poetarum Princeps Iliad. Σ,

eique *ferream*, hoc eſt inuictam vocem attribuit: æquabat enim quinquaginta alios clamore. Ita Homerus:

> *Στέντορι εἰσαμένη μεγαλήτορι χαλκεοφώνῳ·*
> *Ὃς τόσον αὐδήσας χ' ὅσον ἄλλοι πεντήκοντα.*

Augerius Busbequius epiſtola I. legationis Turcicę, idem confirmat his verbis: *Taliſmannos habent hominum genus templorum miniſterio dicatum. Hi menſuris vtuntur ex aqua. quibus poſtquam aduentare auroram cognouerint, clamorem tollunt è celſa turri, in eum vſum conſtructâ, quo homines ad venerandum Deum hortantur & arceſſunt. Idem faciunt medio tempore inter exortum ſolis & meridiem; & item inter meridiem & occaſum: poſtremò, ſole occidente, voce vtuntur acutiſſima, eam non iniucunda modulatione vibrantes, quæ longius, quã credi poſſit, exauditur, &c.*

CAP. XVII.

Pag. 69. *Muſicos concentus*] Stupendæ altitudinis ex cãdido marmore turrim templo D. MARIÆ cæleſtis curiæ Reginæ impoſitam, nemo eſt qui ignorat; hinc patria noſtra;

> *—— tantum caput extulit vrbes,*
> *Quantum lenta ſolent inter viburna cupreſſi.*

In hac ferè quotidie *Campanarum* inſignis muſicus concentus, tantâ arte & harmoniâ, vt non *Campanas* ſed organum aliquod audire videaris; exteris omnibus ſtupentibus.

Pag. 70. *Hieronymi Cardani*] Ita enim ille lib. XII. De rerum Variet. *Reuocauit hæc narratio memoriam eius, quod Bruxellæ in Belgica vidi. Nolæ plurimæ in circuitu poſitæ ſuper turri, vt fieri ſolet, vocum muſicarum ſonis proportionem obtinent: adeunt*

gnari

gnari artis, & tangentes singulas pro notis descriptis, cantilenam pulsant, admiratione potius dignam, quam iucundam auditu: nam nolæ non retinent vocem, sed cum ictu statim desinit. Idem Louanij, Antuerpiæque fit. Transferri etiam potest ad vrceos aliaq; vasa. Si dicas, quis vsus harum nolarum? Vt tota ciuitas audiat Musicam &c. Vtinam Cardanus hodie *Campanarum* musicam Antuerpiæ audiret, secus iudicaret, nempe & admiratione dignam, & auditu iucundam.

CAP. XX.

Pag. 75. *Campana non solum materiam.*] Fiunt ex metallo æris. Æs metallum est durabile & sonorum, habetq; *Campana* interius plectrum ferreum quo tunditur, vt audiatur. Significat noui Testamenti prædicatorum ora, quæ plus durant quam tubæ veteris Testamenti, altiusq; resonant. Natus erat tantum in Iudæa Deus, tempore Iudæorum, at nunc in omni terra. Ænigma de *Campana* circumfertur satis elegans, quod hîc adiiciam in gratiam curiosi lectoris, adiuncto altero magis breui; cuius auctor Nicolaus Reusnerus.

Est intra cælos, est intra mansio terras;
Non cælum tango, non quoq; tango solum.
Constringor vinclis, concludor robore duro,
Vt nulla mutem conditione locum.
Os mihi semper hiat; petulanter & exero linguam;
Nec, nisi cum cogunt verbera multa, loquor:
Cum loquor assiduis repleo clamoribus aures;
Verbera cum cessant, tunc quoq; cesso loqui:
Non vlli noceo clamoribus, hortor iniquos,
Contrito quærant corde salutis iter:

Nic. Reuf.

Os mihi ſemper hians, & pendens ferrea lingua eſt,
Vox eſt nulla, niſi prodita verberibus.

Baptizantur ſeu benedicuntur quoque *Campanæ* ex ſent. patrum Con. Colon. cap. XIII I. vt ſint tubæ Eccleſiæ militantis, quibus vocetur populus ad audiendum verbum Dei. Item vt Dæmones Campanarum tinnitu, Chriſtianos ad preces concitantium, terreantur, vt ſuprà dictum. Formula benedicendi antiqua eſt. Alcuinus mentionem facit, dicens: *Neq; nouum videri debet, campanas benedicere & vngere, eisq; nomen imponere. nam & Gen.* XXVIII. *Iacob memor viſus ſcalæ ad cælum vſq; pertingentis, tulit lapidem, quem capiti ſuo ſuppoſuit, & erexit in titulum, fundendo oleum deſuper, appellauitq; nomen vrbis* BETHEL, *quæ prius Luza dicebatur.*

P. 76. *Campanarum pondus*] Rothomagi (vulgo *Roue*) templum eſt D. MARIÆ Chriſti matri dicatum, altiſſimaque turri ſpectabile, in qua *Campanam* totius Galliæ maximam ferunt, XL millium nempe librarum, quod indicant hi vernaculi verſus quibus ipſa eſt inſcripta:

Je ſuis nommée George d' Amboiſe,
Qui plus que trente ſix mil poiſe:
Et ſi qui bien me poyſera,
Quarante mil y trouuera.

Fuit hic *Georgius* huius vrbis Archiepiſcopus, circa annum milleſimum quingenteſimum, qui dum cõſideraret hanc ſuam diœceſim adeò olei penuria laborare, vt vix ſufficeret tempori Quadrageſimali, huius loco eis butyri vſum conceſſit, eâ tamen conditione, vt ſinguli penderent obolos VI Turonenſes, ex

ſes, ex qua collata pecuniâ exſtrui curauit dictã turrim, quæ inde *Butyri turris* (ſiue *la tour de beure*) hactenus vulgo nuncupatur.

Hoc demum coronidis vice addam. Locus eſt elegans de Tintinnabulis apud Suetonium in Auguſto cap. XCI. quem miror MAGIVM non obſeruaſſe. *Cùm dedicatam* (inquit) *in Capitolio ædem Tonanti Ioui aſſiduè frequentaret, ſomniauit queri Capitolinum Iouem cultores ſibi abduci, ſeque reſpondiſſe, Tonantem pro ianitore ei appoſitum. Ideoq; mox tintinnabulis faſtigium ædis redimiuit, quod ea ferè ianuis dependebãt,* &c. Dio ſimpliciter κώδωνα αὐτῷ περιῆψε, nempe *Ioui Capitolino* ait doctiſſ. Caſaubonus in Animaduerſionib. ad Suetoniũ, imò *Ioui Tonanti*, vt clarè Suetonius, & res ipſa exigit. Nam ſi *Iuppiter Tonans* eſt ianitor Capitolini, & tintinnabula ianuis ferè dependebant, æſtimata eſt ædes *Tonantis* ianuæ loco, reſpectu *Capitolini*. In ædibus magnatum amplis & ſpatioſis tintinnabulorum quoque vſus fuit. Dio ait illis vſos τὰς τὰς συνοικίας νύκτωρ φυλάττοντας, hoc eſt *cuſtodes inſularum & vaſtarum ædium*, quas habuerunt Romani proceres. Supra diximus ex Luciano de mercede conductis, familiæ ſignum dari ſolitum ad euigilandum, huius quoque mentio apud Senecam epiſtolâ XCV. *Tranſeo piſtorum turbam, tranſeo miniſtratorum, per quos ſigno dato ad inferendam cœnam diſcurritur.* Idem de breuitate vitæ: *Quanta celeritate ſigno dato glabri ad miniſteria decurrunt?* Quanquam hic locus capi poteſt de digitorum crepatione. Sed modus eſto & finis. Tu, candide Lector, laborẽ hunc noſtrum, boni conſule & VALE.

FINIS NOTARVM FRANC. SVVEERTII F.

SVRIVS IN VITA S. LVPI EPISCOPI Tomo S. & Card. Baronius Tom. VIII. Annal. Ecclef.

Mortuo Theodorico Principe Rex Clotharius in Burgundiam veniens, hoſtili manu armatum Blidebodem ducem miſit in Senones. Illo ergo tela atrociter in oppidum vibrante, S. Epiſcopus LVPVS *in Domino fidens, ad protomartyris Stephani ædem ſe contulit. Cumque ad conuocandum populum ſignum eccleſiæ tangeret, viribus hoſtes deſtituti, tantoq; ſunt terrore correpti, vt nullam ſibi ſalutis opẽ ſupereſſe putarent, niſi fugâ ſibi conſulerent. Ita vir ſanctiſſimus, dũ inſtar Moyſi ad cœlum tollit manus, hoſtes profligat, &c.* Poſt multa hæc ibidem: *Clotharius Rex vbi cõperit ſignum vel campanam S. Stephani ſonũ edere gratiſſimũ, iuſſit eam Pariſios trãsferri, vt eius tinnitu ſæpius delectaret. Diſplicuit ea res B. Epiſcopo Itaq; mox vt ablata eſt à Senonibus, omnem ſoni gratiã amiſit. Id Rex intelligẽs, ocyùs iubet ſuo illã loco reſtitui. Vbi antẽ ad pontẽ Senonicum ventũ eſt, rediit illi priſtinus ſonus, & ob Sancti viri merita* VII *milliario auditũ eſt.* Hæc de campana Senonenſi: quibus declaratur, iam hoc tempore in vſu frequenti eas eſſe receptas. In Oriente autem adhuc cõſuetudo illa perſeuerabat pulſandi ligna ad populum conuocandum.

BARONIVS TOM. X. ANNAL. ECCLEſiaſt. anno Chriſtiano DCCC LXV.

Ad hũc quoq; annũ referunt ſcriptores proſequuti res Venetas, ærea inſtrumenta, quæ Campanas dicimus, v- ſui eſſe cœpiſſe Græcis, miſſis ipſis à Duce Venetiarum VRSO PATRICIACO *ad Michaelem Imp.*

IN-

INDEX TAM RERVM MEMORABILIVM, quam auctorum qui in lib. de TINTINNABVLIS & NOTIS laudantur vel explicantur, ad paginas accommodatus.

s Notas Fr. Svveertii significat.

Accipitrum tintinnabula 42
accipitrarii 42
Accursii loc⁹ explic. 52. 53
ædes Rom. vett. amplissimæ 33. s 97
ædium foribus appēsa tintinnabula 72. 73
ænea falx Medeæ 55
ænigma de campana duplex s 95. 96
aër ad vocem sonumq́; necessarius 21 *scinditur campanarum sono* 57 *eius constitutiones in soni magnitudine vel paruitate momentū habere* 67. 68
aëris voce vel sono diuerberati natura 66
æs *ab* aëre *adpellatum*, 21 *metallum durabile & sonorum* s 95 æs Dodonæum s 83 æs thermarum *apud Martialem quid* 22. 28 *æris vis credita olim maxima* 38 55. 58 *æris tinnitu cur apes subsidunt* 57 *æris usus varius in sacris, vmbris depellendis, lunæ defectu, &c.* 38. 55. s 83
æris fodinæ Temesæ 24. s 83
æra tintinnire solent 22
ęra auxiliantia s 91
ærei cultri sacerdotum 55
Agellius s 91. *vide & G*
Agiosydirum v. *Hagiosiderum*

Agrippinæ thermæ s 85. 86
Alb. Pighius s 91
Alcuinus s 96
Alex ab Alexandro s 86
Alex. Aphrodisæus 55
Alexandrinæ thermæ s 85
alluuio quasi in artib. 69
Ambros. Nouidius s 88
Amm. Marcellinus s 86
Anastasius monachus martyr. s 82
Andr. Alciatus laudatus 27. 53
Andr. Baccij de Thermis libri laudati s 86
andronitides 73
Ang. Caninius Anglar. laudatus s 7. eius scripta ibid.
Anglara Magij patria 40 & aliorum virorum doctorum parens s 7
Anglarenses campanæ 76
annulus æreus vel ferreus in foribus antiquorũ 73
antiquis scriptoribus suæ ætatis ratio non curiosè habita 71
D. Antonij porcus s 88
D. Antonij fratres, & eorũ tintinnabula 38. s 87
Anton. Campi descriptio vrbis Veronæ s 92
Antuerpiæ qui mos in vendition. indicandis s 86
Antuerpia vrbs vrbium s 6. eius laus s 94
apes cur æris tinnitu subsidunt 57
Apollodorus s 91
Apuleius 40
aquilarũ tintinnabula 42
argẽtum, sonorum metallum 21 eius sonus in quibusd. campanis 76
Aristophanes 44 antiquæ comœdiæ scriptor 45
Aristophanis scholiastes laudatus 44. 90
Aristoteles 21. 73
artes singulæ quotidie excoluntur magis 69
Asinellorum turris Bononiæ 69
asinus Luciani & Apulei non sine tintinnabulo 40
Asofra Hebræorum s 82
Aug. Busbequius laudatus s 89. 94
D. Augustinus 56
auibus etiam alligantur tintinnabula 42
Auicenna 21
Ausonius s 83

Bale-

B.

BAlænas arceri tintinnabulis à nauib. s 88
Berta *aut* Bertacciola, *carrociũ Cremonensium* s 92
Beda s 81
Blidebodes dux s 98
Boiariorum antiqu. s 88
Bononiæ tintinnabula musica 70 *turris ibi Asinellorum* 69
tanquam solent Bononiēses carrocio, *prouerb.* 53
bos *vox* boatum *animalis exprimit* 21
bruta a tintinnabuli vsu non excludi 39 *harmoniâ oblectari, contra philosophos* 40
buccinæ vsus, in vigilibus mutandis apud Rom. 45
bulum *in voce* tintinnabulũ, *& s. quid agat* 21
butyri turris *Rhotomagi vnde dicta* s 97

C

CÆsaris memoria admiranda s 79
Caletum *hodie, qui olim* Icciusportus s 91
campana, *vnde dicta* 23 24 s 81
campanarum origo s 81 *materia* s 95 *quæ varia*, 75. *& sonum variat* 75. 76 *campanarum forma plurimum ad sonum conducit* 75 *conficiendarum & suspendedarum ars* 74 *eas apud veteres in usu fuisse, quam rectè quidam negauerint* 25 *in turribus templorum veterum nullas fuisse* 25. 26 *illis quum primum cœptum fuerit vti in Ecclesiâ, quæsitum* s 81. 82 *campana cur ad hymnos Dauidis in parētalibus pulsata* 56 *earum baptismus & benedictios* 56. 96 *cur pulsentur, tonante cælo* 56. 57. s 91 *olim etiam in funere pulsatæ* s 91 *iis signum datum etiam olim, vi aliqua ingruēte* s 91 *campanæ hodie nullæ Græcis, vt nec Turcis* 58. 59 *etc. campanarum concentus musici in quibusd. locis* 70. s 94. 95 *campanarum maximarum pon-*

dus ſtatere non magno examinatur 76 de campana ænigmata duo s 95 96 cāpana caſtrenſis deſcripta & eius vſus 51 &c. campanæ Anglareſes 76 campanæ Rhotomagenſis pondus s 96 Senonenſis s 98 campanæ Gulielminæ 56
campanariæ turres 66. 67,&c.
campanarius 61 eius cum ſymandro apud Græcos effigies 63
campanellæ ſonitu conuocatæ ſanctimoniales 27
campanilis, *vel* campanalis ſonitus 27
cantu delectantur delphini s 88
capite raſo pileum ſumebant ſerui, ſi liberi fierent 18.19
cardines ænei in forib. 74
Cardinaliū tintinnabula priuata 34.71 eorum familiæ amplæ 34
carduelis cicur, muſica gaudens 40
Car. Rymius, legatus Cæſareus Byzantii 16.17 s 10
Car. Sigonius, & æmulatio inter ipſum & Robortellum s 8
carrocium & eius vſus 52 &c. s 92. figura 54
caſtrorum campana & eius vſus 51 &c.
cauædia 73
cerui paſtorum fiſtulis ſiſtuntur 40
Chriſtianorum veterum inuidia & clandeſtini conuentus ob metum Ethnicorum 27 eos caruiſſe campanis templorum 25. 26. 27
Cicero. 38. s 87 illuſtratus 30.31
citharœdi hiſtoria, qui Iaſſum venerat 31
ciuitas ridicula auium ἐν ὄρνισι Ariſtophanis 44
Clotharius rex s 98
clypeus æreus in Laconico, & eius vſus 22. 28. 29. 30
cochlis ſcala 59
codones in papauere 23
κώδων, & κωδωνεῶν s 81
codones, tintinnabula vnde dicta 23. s 81
codonophorus, κωδωνοφορῶν 44 eius officium apud vigi-

vigiles 44.45
codonophori funebres 45. 46
cœnobiorum tintinnabula 73
columna Traiani 59
Constantinianæ thermæ s 85
cõsuetudinis voluptas 60
Corn. Kilianus Dufflæus laudatus s 88
cornix *in foribus* 73
coruus *in foribus* 73
Cos insula 59
Cremonensium carrociũ. s 92.93
crotala veterum 50.51
Turcarum 51
crotalum citharæ consonans 51
cultri ærei sacerdotũ 55
custodes insularum & vastarum ædium vsi tintinnabulis s 97
Cyprica clades 15
Cyri memoria miranda s 79

D

DÆmones putabant sonitu æris fugari 55 *eorum opera grandinis vel ventorum vi damnum dari* 56
Dea Syria v.S
delphini à nautis sibilo alliciuntur 40 *cãtu mulcentur & capiũtur* s 88
Diaboli præstigiæ 58
Dianæ ludi nocturni diabolici 57.58
Dio s 97
Diocletianæ thermæ 30.58
D.Lambin⁹ notatus s 59
Dodona vrbs, & oraculũ ibi vetustiss. s 83
Dodonæum æs. s 83
Dodonæum ahenũ s 83
Dodonæi lebetes campanæ ne fuerint. 24
Domitianæ thermæ s 85

E

ἠχεῖον, tintinnabulũ s 91
elephas saltans & pila ludens s 89
elephanti cum tintinnabulis: & vnius pictura 40.41
Episcoporum tintinnabula priuata 71
equi vt olim explorabantur, vt hodie, num facile tumultu percellantur s 89
equorum tintinnabula 40
Eusebius s 87
Eutropius 19

excubiae tintinnabulis circumibatur apud Graecos 44.45

F.

F Alx aenea Medeae 55
Famagusta 45.56 olim Salamis 59 a Turcis capta 59
Famagustani sacerdotes 60
familia olim apud ditiores sono tintinnabuli excitata 33. 56.87.97
familiae amplae cardinaliũ 34
famuli tintinnabulo accersiri solent apud principes viros 71
ferrea vox 94
flamen Dialis 17 ei non licebat audire tibias funebres 46
flamines purpurati 34
Florentia 72 turris illic campanaria absolutissima 68
Florentinorum carrociũ captum 53
fores priscorum qua ratione aperiebantur 73.74
forium strepitus 74 foribus appensa tintinnabula & eorũ usus 72.73
Fortunatianus 88
Fr. Balduinus I.C. laudatus 88
Fr. Petrarcha 26 laudatus 25 eius elogium 83.84 & epitaphium 84
Fr. Robortellus 30.58 eius cum Sigonio contẽtio 58 eius lib. de Laconico Pisano laudatus 29
Fr. Rosinus 80
fructuum maturorum vẽditio apud Indos 86
funeri adhibiti codonophori, & cur 45.46
funeri adhibitae campanae etiam olim 91

G.

G Alata Constantinopoleos 51
Gal. Martius regius praeceptor & miles 21 eius sententia de aeris etymo 21 eius de doctrina promiscua lib. 21. idem notatus 21.25
A. Gellius 46 annotationibus a Magio illustratus 66
Gennadius 23

Georgius archiepiſc. Rhotomagenſis s 96
G. Fabricius s 86
Germanorum mos in mutandis vigiliis 45
greges tintinnabulati ſiue tintinnabulati s 88
Gloſſa ordinaria 56
Græcorum vett. mos in vigiliis circumeundis 45
Græci hodie ſeruantiſſ. traditionum, quas à maiorib. accepere 60 Græcorũ templa ſub Turcis carere tintinnabulis 58.59 eorum ſymandrum & hagioſiderum 60.61 &c. quando campanis uti cœpere in locis Chriſtianis s 98
Gulielmus Epiſc. 56
Gulielminæ campanæ 56
Gul. Budæus 46
Gyb. Longolii Annotationes in Æmil. Probum s 9

H.

Hadriani imper. memoria admiranda s 79
Hadr. Iunius s 83
hagioſiderũ Græcorũ 60 eius vſus ibid. forma 62 pictura 65
harmoniā oblectari bruta, contra philoſophos 40
Hebræorũ ſummi ſacerdotis tintinnabula in veſte 42. 43. 44 eorum ſymbolica explicatio 43
Hebræorum tubæ argenteæ s 81
Henr. Petri typograph. Baſil. 17
Herodiadis ludi nocturni 57.58
Herodotus s 83
Heſychius 45
hieracarii 42
D. Hieronymus 26. 43 nouæ & parũ Latinè ſæpe loquitur 24
Hier. Cardanus 70. notatus s 94.95
Hier. Magii elogium s 7 &c. memoria admirabilis s 79
Hier. Magius legatus Florētiæ 72 vix tunicat⁹ è clade Cypriaca in captiuitatem Turcicam incidit 15 optat ſe Græcorum regiones nunquam vidiſſe 63. 64 eius merita in remp. litterariam 17 eius lib. v. de Mundi exuſtione & die iudicii 17 cōm. in Æmil. Probum 18 Miſcellaneorum ſeu variarum lectionum libri iv. 18 opera edita s 9 & non edita plura s 11. 12 eius Annotationes in Gellium 66 lib. de Equuleo s 10 Hier. Magii ſeruitus & miſeria 16.32.43.77
Hier. Mercurialis laudatus s 86
Hier. Squarzaficus laudat⁹ s 84
hierophantæ tintinnabulũ s 91

historia cuiusd. citharœdi 21
historia cuiusd. mulieris venefica 57. 58
Homerus omnigenæ virtutis parens 15. 16 notatus 16
horæ ne olim, vt hodie, tintinnabuli sono distinctæ 34. 35
horologium clepsydra & tintinnabulo constans depictum 36
horologia sonora an antiquis 34. 35
horologii sonantis per aquam delineatio 36

I.

IAn. Lernutius laudatus s 84 eius carmen ad tumulum Petrarchæ ibid.
Iassus 31
Iccius portus, hodie Caletũ s 91
Imperatoris triumphantis currui tintinnabulum cum scutica cur alligatum 47
Imperatorum statuæ v. S
In cubiculo nola. prou. 23
incitabulum 22
Indorum ædiles, fructus maturos signo dato vendunt s 86
instrumentorum veterum multorum cognitione caremus 71
Ioach. Camerarius s 79
Ioannis XXII decretum de tintinnabulis s 85
Ioan. Alex. Brassicanus I. C. eruditus s 80
Ioan. Buteonis lib. de statere & libra 76
Ioannes Grammaticus 23
Ioan. Langius s 86
Ioan. Nicol. Iustus Magii affinis 35
Ioan. Rosinus s 86
Ioan. Sambucus, bibliothecarius Cæsarius, laudatus 77
Ioan. Tortellii lexicon laudatum 25 idem acerbe a Gal. Martio reprehensus, & forte contra eum defensus 25
Ioan. Wieri lib. de præstigiis dæmonum 58
Iosephus s 81 laudatus s 89
Ios. Scaliger laudatus s 92
Iosephus Zarlinus, musicus princeps laudatus 50
If. Casaubonus laudatus s 86. 97 notatus s 97
Isiacorum tintinnabula 39
Italica lingua conscripti libri à Magio 18
Iudaica superstitio, de fide Christiana 27
Iul. Pollux 73
Iuppiter Capitolinus s 97
Iouis Dodonæi templum s 83 lebetes 24
Iuppiter Tonans s 97
Iustinianus imp. 17. s 88

I. Lipsius laudatus s 6.86.89
Iuuenalis s 83

L.

LAconici clypeus æreus, caloris augendi, minuendiue 22.28.29.30
Laconicum Pisanum 28.29
Laur. Valla 25.39
lebetis figura in campanis non optima 75
lebetes Dodonæi an cāpanæ fuerint 24
Lemuralia 55
LL. Burgundiorum s 88 *Gothorum* ib.
libertatis amor 18
libertatem qui accipiebant, pileū sumebant 19
libri, honoris ergò, viris principibus offerri solent à suis auctoribus 16
ligna sacra in supplicationibus s 82
Liuius 55. s 81
ludi nocturni Dianæ vel Herodiadis 57.58
Lucanus 55
Lud. Cæl. Rhodiginus 55. s 86
Lucianus 37.38.40. s 87.97 *laudatus, & eius libellus* περὶ τῶν ἐπὶ μισθῷ συνόντων 33 *eius locus obscurus explic.* 34 *&c.*
Lunæ defectu cur æra pulsabant 55. s 83
Lupus episc. Senonum s 98

M.

Macrobius 16
magistratuum tintinnabula, ad litigantes accersendos 71
Mahometes Bassa s 10
mandibula 21
M. Ant. Bragadinus à Mustapha Bassa viuus excoriatus s 9.10
Martialis locus ab aliis non intellectus, explic. 22.28, *&c.*
Mart. Delrio Magicæ disquisitiones s 93
Mart. Polonus s 85
Martinozum 53
Matth. Coruinus rex Pannoniæ 21 *eius elogium* s 79.80 *epitaphium* s 80
Medeæ falx ænea 55
memoria eloquentiæ thesaurus s 79
Menapij 70
mendicabulum 22
è metallis nullumne perinde sonorum ac æs 21
monachi tintinnabulo excitātur 33
mulieris cuiusd. in ludos diabolicos profectæ historia 57.58
mulierum garrulitas s 83
mulorum tintinnabula 40. s 89

musice gaudere bruta 40
musicus concentus campanarum in quibusd. locis s 94. 95
Mustapha Bassa s 10

N.

NAblia, vulgo organa 70
Neronianæ thermæ s 85
Nic. Leccius tonsor, & scurra 51
Nic. Reusneri ænigma de campana s 96
Nicol. Sipontinus s 86
Noha in arca instrumentum ad conuocanda bruta 60
Nola vrbs 23 olim Sidicinum s 81
nolæ etymon obscurum 23 de quo & s 81 nolam diu ante Paulinum episc. inuentam esse 23 eius vsus in venditione piscium s 86 in nocturnis vigiliis s 90. 91
Nonius Marcellus 55. s 81

O.

OB. Gifanius laudatus 47. 50. s 12
Onufr. Panuinius 26
oraculum Dodonæum vetustiss. s 83
organa musica 70
Origenes s 89
Ouidius 24. 40. 55. ib. s 82. 89

P.

PApaueris codones 23
Pauli Grillandi lib. de Strigibus seu Lamiis 57
P. Ionius s 80
Paulinus episc. Nolanus 23. s 81 eum inuentorem nolæ non esse 23 quamuis id ei adscribunt 26
pecudes 39
pecudum tintinnabula, & cur ipsis adpendi solent 39 s 88
petasus, galerus 22 vnde dictus s 80
petasus in ædificiis s 80
petasus, de maiori tintinnabulo, 22
petasiforma in campanis non optima 75
Pet. Ang. Bargæus laudat⁹ s 12
Petrus Martyr Anglar. laudatus s 7
Petr. Messias s 93
Philibertus Rymius Senator Gādau. s 10
Philip. Rubenii laus s 92
philosophi quidam insignes, serui 16
philosophorum mos 57
Philoxenus s 83
φυλακαὶ, excubiæ 44
pileus signum libertatis 19
Pisana turris admirabili modo con-

constructa 68.69
piscium venditio tintinnabulo indicata 31 s 86
Plautus 73.s 80 emendatus 48 nonnullas fabulas in pistrino scripsit 15
Plinius 26.32.35.s 79.80.81. 82.84.88
Plinius iunior 27
Plutarchus 42.47.73.s 86.87
Plutarchum facere mentionem tintinnabulorum Hebræi sacerdotis 42
Polyd. Virgilius 26.55.s 85 notatus 23
Polybius s 81
porcus grunniens, qui S. Antonio appingitur s 88
Porsenæ regis sepulcri cum tintinnabulis descriptio 32.33.s 84.85
posteritatis ratio habenda scriptoribus 71
præpositi in iudicio tintinnabulum 71
præstigiæ dæmonum 58
Propertius illustratus 45
Proserpinæ sacerdotis tintinnabulum s 91
prostibulum 21
Pyrotechnia Vannocii Beringucii 74.75

Q.

Quintilianus s 79 eius ætas 23

R.

Rhodus 59
Rhotomagi campana maxima totius Galliæ s 96
Rom. veterum ædes ampliss. 33 eorum mos in mutandis vigiliis 45 greges seruorũ possidebat 33
ronda quid hodie 45

S.

Sabinianus pontif. primus campanas turribus templorum imposuit 26.s 85
sacerdotes cur cultris æreis vsi 55
sacerdotis summi Hebræorum tintinnabula in veste s 89.90
sacerdotes deæ Syriæ & eorum tintinnabula 38
sacerdotes Turcarũ clamosi 59
Salamis, hodie Famagusta s 9
sanctimoniales campanella soni-tu conuocatæ 27
scala cochlis 59
Senecæ loci s 97
Senenses capiunt carrocium Florentinorum 53
Senonensis campana s 98
sepulcrum Porsenæ cum tintinnabulis 32
serui etiam quidam è philosophis & auctoribus claris 16 serui confugiebant ad statuas impe-

ratorum 17 *serui quum sup-plicio afficiendi, plebs conuoca-ta tintinnabulis* s 92 *seruo-rum greges olim apud Rom. ho-die apud Turcas* 33 *seruis di-midium mentis à Ioue ablatum non verè Homerũ scripsisse* 16

Seuerianæ thermæ s 85

Sicambri 70

Sidicinum *olim, quæ Nola ho-die* s 81

Sid. Apollinaris locus s 88

silentia abacta æris tinnitu s 83

solaria antiquorum 35

Solinus s 79

sonalii s 81

soni natura & progressus 66, &c.

sonus sine aëre non fit 21

sontes cum tintinnabulo ad sup-plicium ducebantur 46.48

Sophoclis interp. s 81

Spartianus 29. s 79

squillæ *de campanis, apud Pe-trarcham* 25

squillare 25

statere non magno maximarum campanarum pondus posse de-prehendi 76

statuæ imperatorum præsidium seruorum & miserorũ olim 17

Stentore clamosior *prou.* s 93. 94

Stephanus s 83

Statius 91

S. Stephani campana s 98

Strabo 31.39.50. s 82.86

Suetonius illustrat. s 97

Suidas antiquitatum collector nõ aspernandus 50 *eius lexicon seu collectanea* 23 *alibi laudatus* 46 50. s 81.83.89.90.91

symandrum (*nescio tamen an non rectius sit* semantrum, σή-μαντρον) *Græcorum* 60 *eius usus* ibid. *descriptio* 61 *pictura* 63

Synodorum acta s 82

Syria dea s 87 *eius sacerdotes errones* 38 *eorum tintinna-bula* 37. s 87

T.

TAcitus 47

Talismãni Turcarũ s 94

Temesa vrbs 24. s 82

Temesæa æra 24. s 82.83

tempestatũ auctores dæmones 56

Tempsa s 82

Terentius illustratus 73.74

Tertullianus s 87

theatrorum in gradibus vasa quædam ampliora locata, voci-bus augendis 67

Theocriti Schol. 91

thermæ Diocletianæ, Alexan-drinæ, Agrippinæ &c. quique de thermis scripsere s 85.86

thermarum constructio 30

in ther-

in thermis tintinnabula fuisse 22.29

Th. Segbetus laudatus s 11

tibiam crotalo iungũt Turcæ 51

tibia & tympanum Germanorũ in vigiliis 45

tibiæ funebres 46

tin, tin 22

tinnitus ab ære 21

tintinnire 22. s 81

tintinnabuli *etymõ* 21. s 81 *variæ aliæ voces idem designantes* 21

tintinnabulum *vehiculi etiam genus* s 92

tintinnabula apud antiquos fuisse veréne quidam negauerint 25 *tintinnabuli inuentorem ignorari* 26 *materiá* 21 *tintinnabula in horologiis* 35. 36 *in familia excitanda* 33. s 86. 87 *vsus hodiernus in excubiis* s 90 *cur triumphantis imperatoris currui vnum alligatũ* 47 *tintinnabulum D. Antonii* 38 *tintinnabulum castrese* 51 *&c. Iassicum* 31 *tintinnabulorum vsus varius & commoda* 20. 58 *sonus securitatis & auctoritatis indicium* 27. 70 *vis* 55 *&c. maiora veterum & publica* 28 *&c. tintinnabula cœnobiorum* 33. 73 *ad ædium fores vsus* 72. 73 *tintinnabulorum concentus in quarund. vrbium turribus* 70. s 94. 95 *tintinnabulorum vsus in ædib. magnatum* s 97 *in circumeũdis vigiliis* 44. 45 *in thermis* 22. 29 *minorum vsus hodie apud principes & magistratus* 71 *tintinnabulis, Turcarum & Græcorum templa carere* 58. 59 *&c. tintinnabula in veste Hebræi sacerdotis* 42. 43. 44. s 89 *tintinnabula sacerdotis Deæ Syriæ* 37. 38 *tintinnabula in sepulcro regis Porsenæ* 32. s 84. 85 *tintinnabula e sontiũ collo appensa dum ad supplicium ducerentur* 46. 48 s 92 *tintinnabula in exploratione equorum* s 89 *pecoribus appensa* 39. s 88. 89 *tintinnabulis arceantur balænæ* s 88

tintinnabulati *vel* tinnabulati greges s 88

tintinnacula *forte pro tintinnabulis* 48

Traiani columna 59

triumphantis imperatoris currui cur tintinnabulum cũ scutica adalligatum 47

tonitru infringi campanarum sonitu 57. s 91

tubarum argẽtearum apud He-

braeos descriptio s 81.82
Turcae greges seruorum possident 33 *Turcarum crotala* 51 *sacerdotum apud eos clamores sollemnes, vice campanarum* 59. s 94 *eorum templa carere tintinnabulis* 58.59 &c.
turris butyri *Rhotomagi* s 97
turres campanariae 59 *earũ constructio* 66.67 &c. *quaedam nobiliores* 68.69 s. 94
turres tintinnabulis sonoras apud veteres non fuisse 25.26.27
turres arte quasd. ita cõstructas, vt pclinatae casurae videãt 68.69
turres Turcarum iuxta templa 59 & *earum descriptio* ib.
tympani vsus vetus 50
tympanum musicum multa tintinnabula continens 50
tympanum & tibia Germanorũ in vigilibus mutandis 45

V.

VAnnocii Beringucii Senẽsis pyrotechnia 74.75
Varro 22 πολυγραφώτατος *dictus* 32 *eius opera ferè interierũt* 32
vasa in theatrorũ gradibus ampliora cui fini 67
venditiones tintinnabulo indicãtur plateatim Antverpiae s 86
Venetiae 72
ventorum vis in sono rapiendo vel prouehendo 68
Vespasiani & Titi thermae s 85
vestium veterum multarum cognitione caremus 71
Villanii Florentini chronica 53
vigiles vt mutabant Romani, vt hodie Germani 45
vigilum nolae s 91
vigilias tintinnabulis circumibant Graeci 44.45
Virgilius 18.68.74
Vitruuius 22.28.35.67
vmbras tinnitu aeris veteres expellebant 55. s 83
vnctum ibant, qui lauissent 31
vox sine aëre non fit 21
Vrsus Patriciacus dux Venet. s 98

W.

WAlfr. Strabo s 81

Z.

ZEnobius s 83
Zonaras historicus non omnino contemnendus 46 *eius locus* 46.47

FINIS.

Obiter quaedam animaduertimus menda: quae ita corrige. 31,15,16 vrbe; 32,7 Varro 33,11 vsuuenire, & *v. vlt.* par sit, 37,15 SACERDOTEM 39, *pen.* existimant, 59,14 Romae in 68,2 momenta, scil.

m. 14

ac

Nagus
Bells